Leipziger Studien zur classischen Philologie

LEIPZIGER STUDIEN

ZUR

CLASSISCHEN PHILOLOGIE

HERAUSGEGEBEN

VON

H. LIPSIUS C. WACHSMUTH F. MARX

ZWANZIGSTER BAND



LEIPZIG

VERLAG VON S. HIRZEL

1902.

INHALT.

DE STATII SILVARVM CODICIBVS

SCRIPSIT

ARTHVRIVS ENGELMANN
ARNSTADIENSIS



Statii Siluarum recensio, quae, cum aliquanto codicum nouiciorum numero permultis mendis scatentium niteretur, uiris doctis usque ad Baehrensium (hoc ipso non excepto) munus difficillimum et paene desperandum esse uidebatur[1]), nunc multo firmius meliusque habet fundamentum. Adhuc enim in Siluis emendandis hoc erat spectandum, ut ex tot codicibus deprauatis interpolatisque archetypum illud a Poggio Florentino inter Concilium Constantiense in Italiam missum restitueretur, ad quod praeter Laurentianum librum 29, 32, saeculi fere decimi, solum carmen II 7 continentem, omnes codices redire et ex Angeli Politiani, qui illud se contulisse affirmat, testimonio inter uiros doctos iam constabat et ex nonnullis lacunis multisque corruptelis, quae omnium Siluarum codicum communes sunt. Illud quidem Poggii exemplar quod periit aut abditum latet, ualde dolendum est. Verum iis saltem, qui adhuc manabant, multo meliorem Siluarum fontem, dico omnium, qui exstant, librorum manu scriptorum archetypum anno 1879 a Gustauo Loewio Matriti detectum esse ante hos demum duos annos Mauricii Krohnii et Alfredi Klotzii meritis didicimus. Illum codicem Matritensem (signo **M** 31 notatum) postquam Loewius ipse ille quidem non satis subtiliter, sed ita contulit, ut eum reliquis codicibus omnibus meliorem esse appareret (cf. G. Goetz 'De Statii Siluis emendandis', ind. schol. in uniuers. Jen. hab. 1884/85 p. VII sq.), Mauricius Krohn anno 1895 accuratissime ut uidetur excussit et collationem suam cum ceteris, quas per multos annos collegerat, copiis

1) cf. A. Imhof 'De Siluarum Statianarum condicione critica' Halis Saxonum 1859 p. 3. Baehrens 'Statii Siluae' rec. Lipsiae 1876 p. V. cf. etiam quae Curtius Wachsmuth in Mus. Rhen. uol. XLIII. (1888) p. 21 sq. de studiis Statianis dixit.

Alfredo Klotzio tradidit. Quibus largis instructus subsidiis Klotzius in Siluarum editionis suae anno MCM typis Teubnerianis impressae praefatione, p. XVIII—XLVIII, omnes Siluarum libros manu scriptos (Laurentiano scilicet excepto) ex uno illo codice Matritensi descriptos esse tam ualidis nisus argumentis demonstrauit, ut omnium, qui, quid de hac re iudicent, publici iuris fecerunt, uirorum doctorum assensum tulerit[1]); neque mihi argumentis quae ille protulit accurate examinatis dubium uisum est, quin re uera Matritensis omnium qui exstant Siluarum librorum manu scriptorum archetypus sit. Itaque tota illa codicum turba, qua ad Statii Siluarum uerba restituenda uiri docti antea uti debebant, prorsus omittenda est.

Exoritur autem quaestio, quae ratio intercedat inter codicem Matritensem, illum omnium qui exstant librorum manu scriptorum archetypum, et codicem a Poggio temporibus Concilii Constantiensis in Italiam missum, quem libri a Poggio reperti apographum, non ipsum illum codicem uetustum a Poggio luci redditum fuisse inde a breui demum tempore ex Poggii ipsius epistula anno fere 1418 ineunte ad Franciscum Barbarum Venetum, cui illum Siluarum librum una cum Silio Italico et Manilii Astronomicis misit, data et ab A. C. Clarkio primum integra publici iuris facta (Classical Review XIII (1899) p. 125) pro certo scimus[2]). Atque cum Matritensis omnium, quos habemus, Siluarum librorum manu scriptorum archetypus sit, facile eo perducimur, ut putemus Matritensem eundem esse codicem atque illum Poggii librum in Italiam missum. Itaque Klotzius p. XLIX non dubitauit contendere Matritensem esse eundem

1) cf. Fr. Vollmer 'Deutsche Litteraturzeitung' 1900 col. 2148—50, 'Literarisches Centralblatt' 1900 col. 1817—18, P. Kerckhoff 'Wochenschrift für klass. Philologie' 1900 col. 1420—21, R. Helm 'Berliner philol. Wochenschrift' 1901 col. 7—11, L. Valmaggi 'Bollettino di filologia classica' VII p. 226—227, A. Cartault 'Revue de philologie' XXV p. 276—279, M. Schanz 'Gesch. der röm. Litteratur' II, 2² p. 146—47.

2) cf. Clark 'Classical Review' XIII p. 126 sq., Klotzius p. V.

codicem, quem Poggius ad Franciscum Barbarum misit. Quam sententiam ab omnibus illis quos supra (p. 4 adn. 1) laudaui uiris doctis, in his uel a Vollmero, probatam nihilo minus esse falsam pro certo habeo. Neque enim satis ualida argumenta Klotzius ad illam sententiam suam confirmandam attulit, et rationibus palaeographicis, quae summi sunt momenti, illud quod Klotzius contendit uerum esse arbitrari uetamur. Quas in primo huius dissertationis capite primum expedire e re esse mihi uidetur, quo facto, quantum Klotzii argumenta ualere mihi uisa sint, ostendam. Quae cum tractauero, de ea scriptae Siluarum memoriae parte, quam ut in Siluis recensendis prorsus omitteret Klotzius opinione sua quam de Matritensi habet commotus est, accuratius agere meum erit.

I. DE MATRITENSIS CODICIS ARCHETYPO.

Iam duobus fere saeculis antequam Poggius Florentinus Constantia profectus monasteria propinqua codices ueterum scriptorum inuestigandi causa uisit, in monasteria, quae inde a nono usque ad medium fere tertium decimum saeculum litteris tam egregie floruerunt, ut monachorum industriae permulta scriptorum antiquorum opera memoriae tradita debeamus, tanta luxuria et pigritia inuaserant, ut monachi libris describendis non iam uacarent et uel artis scribendi plerumque imperiti essent. Velut in Corbeiensi illo monasterio Gallico quod litteris olim magnopere floruerat, saeculo tertio decimo exeunte monachi ne ecclesiasticos quidem libros, quibus iis opus erat, ipsi scribebant, sed emebant uel scribis conducticiis scribendos mandabant[1]). Eidem turpi desidiae etiam Murbachiensis monasterii illius quondam clarissimi monachi se dederunt, quos anno 1291 omnes scribere nequiuisse traditum est. Atque uel in Sancti Galli monasterio anno 1297 ne

1) cf. W. Wattenbach 'Das Schriftwesen im Mittelalter' III. ed. Lipsiae 1896 p. 443.

praepositus quidem monasterio artis scribendi peritus erat (cf. Wattenbach, l. l. p. 447). In ceteris uero monasteriis monachorum pigritiam ignorantiamque non minorem fuisse apparet. Atque quanta tum litterarum labes in monasteriis fuerit, inde intellegimus, quod uel in clarissimis olim monasteriis monachi non solum nouos libros non scribebant, sed etiam illos qui praesto erant, in madore et squalore perire sinebant. Cuius rei egregium testimonium Poggio ipsi debemus, qui anno 1416 Constantiae Guarino cum alia scripsit tum haec (Poggii Epist. ed. Th. de Tonellis, Florentiae 1832, I 1, 5, p. 28): 'Est autem Monasterium Sancti Galli prope urbem hanc mil. pass. XX. Itaque nonnulli animi laxandi et simul perquirendorum librorum, quorum magnus numerus esse dicebatur, gratia eo perreximus. Ibi inter confertissimam librorum copiam quos longum esset recensere, Quintilianum comperimus adhuc salvum et incolumen, plenum tamen situ et pulvere squalentem. Erant enim non in Bibliotheca libri illi, ut eorum dignitas postulabat, sed in teterrimo quodam et obscuro carcere, fundo scilicet unius turris, quo ne capitalis quidem rei damnati retruderentur. Atqui ego pro certo existimo, si essent, qui haec barbarorum ergastula, quibus hos detinent viros, rimarentur ac recognoscerent more maiorum, similem fortunam experturos in multis, de quibus iam est conclamatum'. Ex his, quae enarraui, dilucidissime apparet libros quos Poggius Concilii Constantiensis temporibus inuenit lucique reddidit, non recentis fuisse originis, sed compluria iam saecula tulisse. Velut Asconii codicem a Poggio in Sancti Galli monasterio repertum saeculo nono exaratum fuisse Kiesslingius et Schoellius Asconii editores p. XXI statuerunt, et Quintiliani et Valerii Flacci codices una cum Asconii codice a Poggio inuentos illi codici fere aequales fuisse suspicor. Itaque etiam Silii Italici, Statii Siluarum, Manilii Astronomicorum codicibus a Poggio eodem fere tempore in lucem prolatis complurium saeculorum aetatem fuisse consentaneum est. Apparet igitur Silii, Siluarum, Manilii

codices a Poggio ad Franciscum Barbarum missos ex codicibus saeculis nonnullis uetustioribus exaratos fuisse. Itaque Matritensis M 31 codex ille, quem Poggius in Italiam misit, esse nequit, nisi ex archetypo compluribus saeculis uetustiore descriptus est.

At multae in Matritensi exstant litterarum commutationes, quae oriri non potuerunt, nisi Matritensis ex codice haud ita magno tempore antea scripto exaratus est. Cuius rei primum haec propono exempla, quibus addidi ueras lectiones cancellis inclusas: I 1, 18 alcius (altius), I 1, 102 Atcicus (Atticus), I 1, 103 imitancia (imitantia), I 2, 219, I 2, 273, II 2, 138, II 4, 33, II 5, 16, III 2, 129, IV 3, 36 ac (at), I 3, 27 Sesciacos (Sestiacos), I 3, 57 ingencia (iungentia), I 3, 85 uicreae (uitreae), I 3, 96 peciisse (petiisse), I 4, 116 Sic (sit), I 5, 11 incende (intende), I 5, 30 habitascis (habitastis), I 5, 35 oficis (ophites), I 6, 19 muscaceus (mustaceus), I 6, 24 concudit (contudit), II 1, 114 Actica (Attica), II 2, 109 tyrincia (Tirynthia), II 2, 148 uescere (uertere), II 6, 63 salcus (saltus), III 1, 13 hircaque (hirtaque), III 1, 71 Dilicuit (delituit), III 1, 142 ischmos (Isthmos), III 2, 139 praeciosa (pretiosa), IV 1, 11 eciam (etiam), IV 3, 151 cithonia (Tithonia), V 2, 128 acceaque (Actaeaque), V 3, 253 crinisque (trinisque), V 3, 277 aecneaque (Aetnaeaque), V 3, 278 caedas (taedas), V 5, 29 uictatus (uittatus). addo locos quibus pro 'c' scripta est 't': I 3, 71 artano (arcana), I 3, 86, III 1, 19, IV 6, 82, V 3, 107 artes (arces), I 4, 75 retingi (recingi), II 1, 49 nouertae (nouercae), II 1, 113 amittu (amictu), II 1, 197 tatito (tacito), II 3, 25 petus (pecus), III 1, 34 artus (arcus), III 1, 72 at (ac), III 2, 7 Metius (Maecius), III 3, 146 ottonis (octonis), IV 1, 1 ottonis (octonis), IV 3, 63 ethon (echon), IV 4, 9 uertite (uertice), IV 6, 47 quitquam (quicquam), IV 6, 51 parti (parci), V 1, 123 parti (parci), V 2, 12 ottonos (octonos), V 2, 17 tretus (cretus), V 2, 157 et (haec), V 2, 180 alater (alacer), V 3, 119 amittus (amictus). Verum non solum his quos e Klotzii apparatu critico exscripsi locis, sed multo saepius in Matritensi 'c' et 't' litteras confusas esse inde apparet, quod in primi libri carmine primo, quod Klotzius in praef. p. XLII sqq. im-

mutatum, quale in Matritensi prima manu scriptum est, typis imprimendum curauit, ter 'c' pro 't' legitur, cuius rei in apparatu Klotzii mentio non fit: u. 18 alcius (altius), 102 Atcicus (Atticus), 103 imitancia (imitantia). Persaepe igitur in codice Matritensi litterae 'c' et 't' inter se commutatae sunt. Quae commutatio frequentissima non alia re orta est nisi eo, quod in Matritensis codicis archetypo litterae 'c' et 't' inter se simillimae fuerunt. Nam Matritensis codicis librarium in legendo errasse, non in scribendo, cum inde apparet, quod in Matritensi litterae 't' forma hasta ad perpendiculum ducta supra hastam ad libram ductam eminente distincte differt a litterae 'c' forma, ut e tabella photographica editioni Klotzianae addita primam Matritensis Siluarum paginam repraesentante perspicimus, tum inde, quod III 2, 7 librarius cum nomen 'Maecius' ei scribendum erat, primum recte 'c' scripsit, tum in 't' mutauit. Praeterea autem in Matritensis archetypo litteras 'c' et 't' ita scriptas fuisse, ut facillime inter se commutari possent, etiam eo efficitur, quod, ut Klotzius p. X narrat, librarius haud paucis locis consulto in medio reliquisse uidetur, utrum 't' an 'c' legendum esset. Has autem litteras 'c' et 't' post tertium decimum demum saeculum inter se similes scriptas esse et W. Wattenbach 'Anleitung zur lateinischen Palaeographie' ed. IV., Lips. 1886 p. 45 docet, et ipse mihi persuasi codicum exempla, quae Arndtius in libro suo 'Schrifttafeln zur Erlernung der lateinischen Palaeographie' annis 1897 (I. uol.) et 1898 (II. uol.) tertium edito publici iuris fecit, accurate examinando. Eorum enim codicum, qui hoc opere repraesentantur, in nullo ante tertium decimum saeculum exarato similitudo inter litteras 'c' et 't' intercedit. In tabulis 24 et 59 demum codices saeculi tertii decimi repraesentantibus littera 'c' pro arcu superno hamum habet, qua re, cum tum litterae 't' linea ad libram ducta, quae in uetustioribus codicibus ab utroque lineae ad perpendiculum ductae latere aeque longa esse solebat, in sinistro latere ad nihil fere minuta scriberetur, aliqua similitudo litterarum 'c' et 't' effecta est, sed non satis magna, ita ut haud facile quis errare

possit. Idem fere ualet ad tab. 26 (cod. tertii decimi saeculi medii), 25 (cod. exeunte saeculo tertio decimo scr.), 62 (cod. anno 1282 scr.), 64 (cod. anno 1359 scr.), 66 (cod. anno 1402 scr.); uerum quo recentiore aetate illi codices scripti sunt, eo maior similitudo litterarum 'c' et 't' facta est. In tabb. 63 (anno 1331 scr. cod.) et 27 (cod. quarti decimi saec.) autem aliquanto saepius 't' pro 'c' et 'c' pro 't' legi potest. In tab. 28 uero codicem anno 1400 litteris minusculis Gothicis quae dicuntur nitide exaratum repraesentante similitudo litterarum 'c' et 't' tanta est, ut eas discernere difficillimum sit. Itaque tanta illarum litterarum similitudo, quantam in Matritensis exemplari fuisse supra intelleximus, in illo exstare non potuisset, nisi archetypus post exitum fere saeculi tertii decimi exaratus esset. Atque saeculo tertio et quarto decimo cum fieri non potuisse supra uiderimus, ut Siluae describerentur, apparet Matritensis archetypum quinto decimo saeculo scriptum esse, h. e. ipsum illum codicem esse quem Poggius Concilii Constantiensis temporibus exarandum curauit et in Italiam ad Franciscum Barbarum misit.

Quod non solum e litterarum 'c' et 't' commutatione frequentissima discimus, sed ex aliis etiam commutationibus idem efficitur. En has Matritensis codicis lectiones: I praef. 14 noualiquid (non aliquid), I praef. 34 uobis (nobis), I 2, 147 uiridis (nitidis), I 2, 164, I 3, 35, II 2, 44, III 1, 8, IV 4, 22, V 2, 133 ue (ne), I 2, 237 recliuis (reclinis), I 3, 20 autem (anien), II praef. 15 Iudico (indico), II 1, 130 augusta (angusta) (eadem utriusque uocabuli commutatio occurrit etiam II 7,95, III 1,69, III 2, 55, III 2, 68, V 1, 245, V 2, 13), II 2, 47 uegat (negat), II 3, 16 siue (sine), II 6, 30 cauentem (canentem), III 1, 30 uemces (Nemees), III 2, 4 leuis (lenis), III 2, 24 uiua (uina), III 2, 52, V 1, 122 mouet (monet), III 5, 58 neruos (uernos), IV praef. 16 aue a | poli (a Neapoli), IV 9, 29 eulychnia (enlychnia), IV 9, 31 leues (lenes), V praef. 10 uec (nec), V 1, 6 uata (nata), V 3, 54 unda (nuda) V 3,263 nouit *ut uid.* (nouit). nec desunt loci, quibus Matritensis 'n' pro 'u' exhibeat: I praef. 16 nos (uos), II 1, 6 manus (mauis), II 1,110 Sine (Siue), III 5, 58 neruos

(uernos), V 3, 54 unda (nuda), V 3, 218 Nota (uota), V 5, 51 nox (uox). Quibus e locis apparet in codicis Matritensis exemplari litteras 'n' et 'u' inter se tam similes fuisse, ut saepe altera pro altera legi posset. Etenim hoc quoque, si tabellam photographicam editionis Klotzianae conferes, tibi persuadebis Matritensis codicis librarium litteras 'u' et 'n' inter se tam dissimiles scripsisse (modo utra littera scribenda esset ex archetypo suo pro certo explorasset), ut eum ipsum *legentem* errauisse, non tam neglegenter scripsisse, ut nos illas litteras oculis non satis dilucide dispicere possimus, manifestum sit. Quam litterarum 'n' et 'u' similitudinem in uetustis codicibus non inueniri, sed post duodecimum saeculum ortam esse ex eodem Wattenbachio p. 40 discimus. Atque ex Arndtii tabulis cognoscimus usque ad finem duodecimi saeculi in codicibus litteras 'n' et 'u' semper ita scriptas fuisse, ut inter se commutari nequirent. Vsque ad illud enim tempus littera 'n' semper superne clausa et infra aperta, 'u' autem semper infra clausa et superne aperta scripta est, ita ut nulla inter has litteras intercederet similitudo. Ineunte demum tertio decimo saeculo littera 'n' hastis infra ad dextram flexis litterae 'u' aliquanto similior scripta inueni[illegible], in tabb. 58 (cod. anno 1214 scr.), 59 (cod. anno 1218 scr.), 25 (cod. anno 1290 scr.), 27 (cod. quarto decimo saeculo scr.). Verum in omnibus his codicibus cum littera 'u' superne sit aperta, cum 'n' haud facile potest commutari. Atque eo tempore quo hi codices exarati sunt, 'n' et 'u' persaepe inter se prorsus dissimiles fuisse tabb. 61, 62 (XIII. saec.), 63, 64 (XIV. saec.) docent. In tab. 28 autem (cod. anno 1400 scr.) 'u' ambabus hastis superne ad sinistram flexis litterae 'n' illa ratione qua hanc litteram inde a tertio decimo saeculo ineunte scribi coeptam esse supra uidimus, exaratae tam similis est, ut facillime inter se commutari possint. Itaque hac quoque re, quod supra statuimus Matritensis codicis exemplar saeculo quinto decimo exaratum esse, confirmatur.

Illa cuius modo mentionem feci hastarum flexione, quam exeunte saeculo duodecimo ortam esse Wattenbachius p. 40 docet, non solum litterae 'n' et 'u' inter se simillimae factae

sunt, sed etiam multae aliae litterarum commutationes sunt effectae. Cum enim magis magisque hastae litterarum 'i', 'u', 'n', 'm' superne et infra quasi frangerentur et flecterentur — qua re Gothica quam dicebant scriptura saeculo quarto decimo orta est —, facillime fieri poterat, ut 'm' legeretur ubi 'ni' uel 'in' uel 'ui' uel 'iu' legi debebat, 'ni' autem uel 'in' uel 'ui' uel 'iu' ubi 'm' legendum erat, ut 'ii' legeretur pro 'n', 'n' autem pro 'ii', alia. Huius scripturae, qua tales errores effici possunt, prima uestigia inueniuntur in Arndtii tabula 56[a] (cod. undecimi saeculi) et tab. 22 (cod. saeculi duodecimi), ubi quidem sola 'i' littera error oriri potest, siquis eam litterae praecedentis uel sequentis partem esse putat. 'n', 'u', 'm' secundum uetustam consuetudinem ita scriptae sunt, ut falso legi nequeant. Idem fere ad tab. 23 (cod. duodecimi saeculi), 57 (cod. anno 1163 scr.), 58 (cod. a. 1214 scr.) ualet. In tab. 24 autem (cod. tertii decimi saec.) et 60 (cod. a. 1240 scr.) etiam litterarum 'n' et 'm' hastae ita flecti incipiuntur, ut iis quoque perperam legendis errari possit. Aliquanto facilius quis eandem ob causam errare potest in tab. 25 (cod. saec. tertio decimo exeunte scr.), uerum haud ita saepe. Sed persaepe fieri potest, ut quis falso legat in tab. 64 (cod. a. 1359 scr.), 65 (cod. a. 1374 scr.), 28 (cod. a. 1400 scr.), 66 (cod. a. 1402 scr.), 29 (cod. saec. quinto decimo medio scr.) Vnde apparet, e saeculi quarti uel quinti decimi archetypo errores quales protuli in codicem irrepere potuisse.

Atque illae litterarum commutationes in unaquaque fere Matritensis codicis pagina occurrunt. Ex quibus grauiores tantum affero: I praef. 24 mecum (in ecum), I praef. 28 mihilunnxerasscis (mihi iniunxeras scis), I praef. 31 ıure ruditissimus (uir eruditissimus), I praef. 38/39 Infinestint (In fine sunt), I 1, 1 gemmata (geminata), I 1, 56 uıs essaque (insessaque), I 2, 48 lumina (limina), (haec commutatio in Matritensi saepius occurrit: I 2, 196, II 1, 38, III 1, 9, IV 2, 61), I 2, 85 inmitti (immiti), I 2, 154 deıussa (demissa), I 2, 204 Annus (Amnis), I 2, 262 uındum (nitidum), I 6, 3 Iam (Iani), II 1, 38 huic (hinc), II 1, 104 uinctas *ut uid.* (iunctas), II 3, 34 una (ima), II 3, 59 unos

(imos), III 2, 121 massirias (in Assyrias), III 3, 40 gemini (gemui), III 5, 15 mulcem (mulcent), IV 3, 114 uno (imo), IV 4, 17 amenaque (Anienaque), IV 4, 68 Nittaurus (Nutaturus). Praeter has, quas attuli, plus septuaginta huius modi commutationes e Klotzii apparatu exscripsi, sed omnes afferre taedet. Atque iam plures esse has commutationes eo ueri est simile, quod I 2, 38 Matritensis 'uiuo' habet pro 'iuno' (cf. Klotz. p. XXXVIII), cuius rei in Klotzii apparatu mentio non fit. Tantus eiusmodi corruptelarum numerus certe aliter explicari nequit nisi eo, quod codex Matritensis ex exemplari litteris minusculis Gothicis, quales saeculo quarto et quinto decimo scribi solebant, exarato descriptus est. Nam quamquam concedo hic illic librarium s c r i b e n d o errare potuisse, tamen in archetypo litteras illas, quas tam praue tradidit, ita scriptas fuisse, ut difficillime possent discerni, inde apparet, quod in Matritensi saepe plus uel minus hastarum exstant quam scribi debebant. cuius rei haec affero exempla: I praef. 13 inlustrum (inlustrium), I 6, 70 timentes (tumentes), II 1, 27 tecunn (*ultimam hastam exp.* M[1]) (tecum), II 1, 58 timentem (tumentem), II 1, 84 animus (animis), II 1, 218 ıbımuıs (ibimus), II 5, 13 timuere (tumuere), II 6, 1 nımus *ut uid.* (nimis), II 6, 75 sublimus (sublimius), III 1, 94 mitantia (imitantia), III 1, 144 puniceis (pumiceis), III 3, 104 uıultus (uultus), III 3, 113 eximum (eximium), IV praef. 16 septimum (Septimium), IV 4, 5 contimuo (continuo), IV 4, 79 ue suus (Vesuius), IV 5, 58 Passum (passim), interum (interim), V 1, 115 cuius (cui ius), V 1, 197 flamnatus (flammatus), V 1, 211 ciliciumque (Cilicumque), V 1, 215 serium (Serum), V 3, 33 immunera (in munera), V 3, 104 semrutos (semirutos), V 3, 174 duum (diuum), V 5, 59 nmıum (nimium). Quibus e corruptelis manifestissime apparet codicis Matritensis librarium illas litteras, quarum memoriam tam falso tradidit, tales legisse, ut, quaenam essent, discernere nequiret et earum hastas numerasse et calamo mandare satis haberet. Quod fieri non potuisse, nisi codicis Matritensis exemplar saeculo quinto decimo exaratum esset, supra uidimus.

Quae quamquam Matritensis archetypum saeculo quinto

decimo scriptum esse satis dilucide docent, tamen unum addiderim. Occurunt enim in Matritensi saepius inter se commutatae litterae 'e' et 'o', quae commutatio oriri non potuit, nisi archetypus iisdem fere litteris, quibus Matritensis ipse, exaratus fuisset. En habes exempla: I 1, 15 equos (eques), II 1, 69 alter (altor), II 6, 3 Pignera (Pignora), II 6, 11 stōmate (stemmate), II 6, 43 herrore (horrore), III 1, 48 dolores (doleres), III 4, 103 ore (oro), IV 3, 119 ropone (repone), IV 6, 21 corpere (corpore), IV 6, 59 polleus (Pellaeus), IV 7, 15 fessor (fossor), IV 8, 55 fossam (fessam), IV 9, 49 dixere (dixero), V 1, 4 moretur (meretur), V 1, 52 falsoque (falsaeque), V 1, 180 Poctora (pectora), V 2, 39 exorto (exerto), V 2, 129 eques (equos), V 2, 140 magne (magno), V 3, 99 oroos (heroos), V 3, 140 clausero (clausere), V 3, 178 oportae (opertae). Vnde, cum in posterioribus Siluarum libris has commutationes gradatim frequentiores esse uideamus, simul hoc quoque concludere licet in posterioribus libris illas litteras in Matritensis exemplari neglegentius scriptas fuisse quam in prioribus.

Verum haec attulisse satis habeo. Dilucidissime enim ex eis quae explicaui apparet, exemplar ex quo Matritensis exaratus est, non uetustum, sed saeculo quinto decimo scriptum fuisse. Vnde efficitur ipsum Matritensem nullo modo esse posse eundem codicem quem Poggius Concilii Constantiensis temporibus ad Franciscum Barbarum misit, id quod Klotzius p. XLIX contendit. Itaque Matritensis nihil est nisi apographum libri Poggiani.

Sed de hac re infra agere pergemus. Hoc enim loco, quoniam quale codicis Matritensis exemplar, h. e. Poggii ille liber, fuerit intelleximus, e re esse mihi uidetur expedire, quid de ipsius Poggiani codicis archetypo, h. e. de codice illo a Poggio prope Constantiam reperto, statui possit.

Qua in re hoc primum mihi est memorandum in codice Matritensi litteras 'a' et 'u' saepius inter se esse commutatas. Cuius rei haec exscripsi exempla: I 1, 37 lauium (laeuam), I 2, 17 euhun (euhan), II 1, 138 angues (ungues), II 3, 74 helisia

(Elysium), III 2, 37 Glaucas (Glaucus), IV 3, 20 granatas (granatus), V 1, 93 fumosa (famosa), V 1, 230 Sic catum (siccatam), V 3, 107 praestantias (praestantius), V 5, 52 maestu (maesta), V 5, 63 deiuneus (detineas). Notissima autem res est usque ad decimum saeculum litteram 'a' priore hasta paululum flexa et superne apertam scriptam esse, ita ut litterae 'u' simillima esset, decimo autem saeculo hanc litterae 'a' formam in libris scribi desitam esse (cf. Wattenbach, l. l. p. 44, Asconius rec. Kiessling et Schoell p. XXI, n. 1). Vnde concludendum est codicem illum a Poggio prope Constantiam[1]) repertum ante saeculum decimum scriptum esse aut redire ad codicem ante decimum saeculum exaratum.

Ad hoc argumentum accedit alterum. In prima enim Matritensis Siluarum pagina frequens est litterarum 'r' et 's' commutatio[2]), quae in reliquis quoque paginis hic illic occurrit: I praef. 6 peste (parte), ibid. 11 seliquerit (reliquerit), ibid. 14 semissiose (remissiore), ib. 16 ceste (certe), ib. 27 sespondebis (respondebis), ib. 30 fostasse (fortasse), ib. 31 ceste (certe), ib. 33 tibustinam (tiburtinam), I 4, 112 aste (arte), II 2, 148 uescere (uertere), II 6, 104 habiture (habitusque), II 7, 134 lassimae (lacrimae), III 1, 38 Texitus

1) Vbi Poggius illum codicem reppererit, nescimus. Antea in Sancti Galli monasterio eum repertum esse putabant uiri docti, quia Asconii codicis Florentini subscriptione Asconius una cum Valerio Flacco, Manilio, Siluis in monasterio Sancti Galli inuentus esse dicitur. Sed illi subscriptioni fidem non esse habendam in Vollmeri editione p. 41 ostendit Krohnius, cuius argumentis hoc accedit summum, quod anno 1416 Poggius Guarino scripsit se Quintilianum, Valerium Flaccum, Asconium Pedianum in Sancti Galli monasterio repperisse, anno autem 1418 demum ineunte Francisco Barbaro Silium Italicum, Statii Siluas, Manilium misit. Itaque libri illi, qui una reperti esse illa subscriptione dicuntur, re uera non una sunt reperti, qua re subscriptionis fides prorsus euertitur.

2) cf. Ascon. rec. Kiessling-Schoell p. XXI, n. 1. qui melius fecissent, si litterarum 'r' et 's' commutationem a litterarum 'rt' et 'st' commutatione non seiunxissent. harum enim litterarum ligaturae neque maiorem efficiunt similitudinem, quam inter litteras 'r' et 's' ipsas intercedit, et ante decimum saeculum ligatura 'rt' raro occurrit.

(Texitur), III 3, 18 implicitor (implicitos), IV 3, 64 marsicus (Massicus), IV 3, 118 Profest (profert), IV 4, 63 datus (datur), IV 5, 10 Crinitus (crinitur), IV 6, 51 admisata (admirata), V 5, 8 lacestis (lacertis.) Vnde quod apparet memoriam Siluarum redire ad codicem, in quo litterae 's' et 'r' inter se simillimae erant, eo egregie confirmatur, quod praecipue in prima pagina librarius his duabus litteris commutandis peccauit, tum uero has litteras eum melius nouisse inde apparet, quod eiusmodi menda rarescunt. Illa autem litterarum 'r' et 's' similitudo, qua earum commutatio effici poterat, in scriptura minuscula posteriorum temporum non inuenitur. At 'Exempla codicum Latinorum litteris maiusculis scriptorum' a Carolo Zangemeister et Guilelmo Wattenbach Heidelbergae annis 1876 et 1879 edita accurate conferens primum in Hilarii codice Capituli S. Petri anno DX non posteriore (tab. 52) 's' et 'r' ita scriptas inueni, ut facillime inter se commutari possint. Eadem ratione utramque litteram scriptam non inueni nisi in codice Parisino Lat. 12097 (tabb. 40, 41, 42) breui post annum 537 scripto et in codice Capituli Coloniensis CCXII (tab. 44) sexto uel septimo saeculo exarato. Praeter hos codices unus mihi est memorandus cod. Veronensis XXXVIII, 36 (tab. 32) anno 517 Veronae scriptus, in quo litterae 'r' ductus idem est qui in illis libris, 's' autem ita scripta est, ut cum 'r' haud facile possit commutari.

In eisdem codicibus (Coloniensi excepto) litterae 'r' ductus etiam talis est, qualis cum semiunciali forma litterae 'n' hic illic commutari possit. Quae quidem commutatio in codice Parisino solo oriri potest, quia in aliis codicibus uncialis litterae 'n' forma exstat. Ecce haec quae in Matritensi exstant menda: I 1, 51 Aenea (aerea), I 3, 16 arte (ante), III 3, 204 morituraque (monituraque) V 2, 131 Nubigeras (nubigenas), V 5, 82 ne soluam (resoluens)[1]. Ambae igitur litterarum com-

1) Eadem litterarum 'r' et 'n' commutatio occurrit etiam in Statii Thebaidis et Achilleidis codice Puteaneo saec. IX., quem e codice haud ita multo tempore antea scripto fluxisse Klotzius in Achilleidis editione

mutationes, quae illorum quos attuli codicum scriptura effici possunt, cum in Siluarum tradita memoria inueniantur, quid est manifestius quam Siluas ad archetypum redire eadem fere scriptura atque illos exaratum? Est autem illorum quos supra memoraui codicum scriptura ea quae uocatur semiuncialis ad minusculam uergens. At illius scripturae apud Zangemeisterum Wattenbachiumque tantum prima quasi inueniuntur uestigia, quippe qui exempla codicum maiusculis litteris scriptorum repraesentare sibi proposuerint, illa autem scriptura magis ad minusculam spectet. Itaque Arndtii tabulas consului, ubi illa scriptura, qua illarum de quibus uerba feci litterarum similitudo efficitur, multo saepius inuenitur. In undecim enim Arndtii tabulis 5ª, 5ᵇ, 6, 8ᶜ, 10, 13, 40, 42, 43, 44, 48) litterae 'r' et 's' interdum facillime possunt inter se commutari, in quattuor codicibus ab Arndtio repraesentatis (tabb. 9ª, 12, 34ᶜ, 42) litterae 'r' et 'n' inter se simillimae sunt. Illorum codicum plerique saeculo octauo scripti sunt (5ª, 5ᵇ, 6, 8ᶜ, 13 et 9ª, 12, 34ᶜ), unus (10) saeculo septimo, tres (40, 44, 48) saeculo octauo exeunte uel nono ineunte, reliqui (42 et 43) saeculo nono. Post nonum autem saeculum illae litterarum 'r' et 's' atque 'r' et 'n' formae, quibus earum commutationes quales in Matritensi occurrunt effici possunt, non inueniuntur. Atque scriptura illorum quos attuli codicum est aut Langobardorum quam dicunt aut Visigothorum aut Merovingiana aut Irica aut Anglosaxonica aut semiuncialis ad minusculam proxime accedens. Semiunciali igitur fere scriptura exaratum neque saeculo nono posterius exemplar illud fuit quod Poggius prope Constantiam repperit et describi iussit. Nam cur non uetustum illum librum, sed apographum eius duobus uel tribus fere saeculis posterius a Poggio repertum esse putemus, ansa prorsus non est praesto. Atque si quaeris, quonam saeculo,

---

anno 1902 Lipsiae emissa p. XII sq. demonstrauit. In quo etiam litterarum 'r' et 's' (cf. Klotz. l. l. p. XIV) et 'a' et 'u' (cf. Klotz. l. l. p. XII sq.) commutatio saepius inuenitur.

utrum nono an priore aliquo, archetypus ille scriptus fuisse mihi uideatur, equidem nono saeculo illum exaratum fuisse putauerim eam ob causam, quod inde a nono demum saeculo Germanorum Gallorumque monasteria litteris floruisse notum est et quia Carolum Magnum uirosque litteratos, quos ille sibi adsciuerat, Siluas nouisse e compluribus testimoniis constat. (cf. Vollmer p. 34, Traube 'Karolingische Dichtungen' p. 49, adn. 1).

Ceterum nono saeculo codicem a Poggio repertum scriptum fuisse iam Lundstroemius 'Quaestiones Papinianae' Upsalae 1893 p. 2 suspicatus est, sed nisus exemplis quae aut nullius aut non grauis sunt momenti. Itaque multo ualidioribus argumentis demonstrasse mihi uideor librum, quem Poggius prope Constantiam repperit, illius uenerandae fuisse uetustatis.

Haec postquam explicaui, reliquas litterarum commutationes in Matritensi saepius occurrentes exhibebo, quarum nondum mentionem feci. Quas profero, non quo quid ex eis ad aetatem scriptae Siluarum memoriae accuratius explorandam efficere uelim, sed quod notitia earum ad Siluarum uerba recte constituenda non nullius pretii esse uidetur. Quo in conspectu exhibendo satis esse puto illas litterarum commutationes enumerasse et locos quibus occurrunt addidisse, ipsas autem lectiones non exscribam, quippe quas facile in Klotzii apparatu inuenias. Atque hae quidem litterae in codice Matritensi inueniuntur saepius commutatae:

a et e: sexies decies 'e' scripta est pro 'a': I praef. 6, I 2, 12, II 1, 110, II 2, 122, II 7, 90, III praef. 23, III 3, 138, III 4 tit., IV 6, 79, V 1, 66, V 1, 114, V 2, 84, V 2, 150, V 3, 7, V 3, 98, V 3, 288; decies 'a' scripta est pro 'e': I 3, 20, I 4, 3, III 3, 136, IV 4, 71, IV 5, 34, IV 6, 85, V 2, 23, V 2, 137, V 2, 180, V 5, 24.

a et o: duodeuicies 'a' scripta est pro 'o': I praef. 7, I 2, 32, I 6, 20, I 6, 96, II 1, 83, II 2, 82, II 6, 40, II 6, 79, IV 4, 30, IV 4, 71, IV 6, 86, IV 9, 28, V 1, 66, V 2, 148, V 3, 12, V 3, 28, V 3, 85, V 3, 288; undecies 'o' scripta est pro 'a': I 3, 71, I 5, 54, II 1, 158, II 1, 189, II 2, 23,

II 7, 79, III 5, 46, IV 3, 43, IV 5, 16, V 1, 123, V 2, 77. II 1, 158 cum Matritensis librarius primum recte scripserit 'Dona', tum 'a' perperam mutarit in 'o', et V 3, 28 praue scripserit 'magna', postquam recte '— no' scripsisse uidetur, ueri est simile in Matritensis exemplari 'a' et 'o' inter se similes fuisse.

ae et e: tricies in Klotzii apparatu 'e' occurrit pro 'ae': I 1, 5, (I 2, 41), I 4, 117, I 5, 4, II 1, 110, II 2, 60, II 3, 14, II 3, 29, II 6, 43, II 6, 54, II 7, 8, II 7, 18, II 7, 29, II 7, 34, II 7, 35, II 7, 87, III praef. 17, III 1, 44, III 2, 7, III 4, 26, IV praef. 39, IV 6, 59, IV 6, 62, IV 6, 105, IV 8, 50, V 2, 128, V 2, 131, V 2, 157, V 3, 107, V 3, 197; undecies 'ae' legitur pro 'e': I 6, 84, II 1, 78, II 1, 94, II 4, 32, II 7, 96, II 7, 101, III 2, 139, IV 4, 37, IV 5, 47, V 1, 19, V 1, 100.

Sed multo saepius has litteras in Matritensi commutatas esse et ipse Klotzius dicit p. LXXX, et inde apparet, quod in primi libri carmine primo etiam sex aliis locis 'e' scripta est pro 'ae': I 1, 2, I 1, 32, I 1, 50, I 1, 53, I 1, 62, I 1, 86, cuius rei in Klotzii apparatu mentio non fit. Ceterum hanc commutationem et in uetustis codicibus et in recentissimis occurrere notissimum est.

b et h: bis 'h' scripta exstat pro 'b': II praef. 28, III 1, 119; semel 'b' pro 'h': V 3, 280.

b et l: quater 'l' scripta est pro 'b': I 6, 59, IV 3, 40, IV 5, 17, IV 9, 30; bis 'b' pro 'l': III 3, 96, IV praef. 7.

c et e: quinquies 'c' scripta est pro 'e': I 2, 41, II 1, 178, III 1, 30, IV 3, 81, V 3, 182; bis 'e' pro 'c': I 4, 1, IV 4, 91.

c et g: septies 'g' exstat scripta pro 'c': I 4, 120, I 5, 21, I 6, 17, II 2, 90, II 6, 64, II 7, 93, IV 8, 52; 'c' pro 'g' scriptam non inueni.

c et s: sexies 's' scripta est pro 'c': I 3, 60, II 3, 77, II 4, 23, II 7, 134, IV 2, 14, V 2, 117; quater 'c' pro 's': I 2, 242, II 1, 188, II 5, 6, V 3, 102. adde II 1, 130: Pestora M, Pectora M[1].

d et t: quinquies 't' occurrit pro 'd': I 1, 83, II 2, 86, II 2, 87, V 1, 66, V 2, 88; semel 'd' pro 't': IV 2, 41.

e et i: uicies semel 'e' scripta est pro 'i': I 1, 48, I 5, 16, I 6, 16, II 3, 77, II 6, 64, III 3, 77, III 4, 9, III 4, 47, III 5, 29, IV 2, 28, IV 2, 67, IV 3, 59, IV 3, 62, IV 4, 79, IV 5, 52, IV 6, 30, IV 8, 3, IV 8, 38, IV 9, 21, V 2, 56, V 3, 258; septies decies 'i' exstat pro 'e': I 3, 93, I 5, 35, II 6, 105, III praef. 23, III 1, 71, III 1, 86, III 4 tit., IV 4 tit., IV 6, 81, IV 7, 36, IV 9, 54, V 2, 58, V 2, 142, V 3, 42, V 3, 226, V 3, 241, V 5, 42. adde IV, 1, 26: patris **M**, patres **M**[1].

e et u: quater 'u' exstat pro 'e': IV 2, 4, IV 6, 39, V 2, 12, V 3, 199.

f et ph: quinquies in apparatu Klotzii 'f' occurrit pro 'ph': I 5,35, II 6, 79, II 7, 48, II 7, 66, II 7, 113.

f et s: quater 'f' scripta est pro 's': III 4, 84, IV 3, 46, V 2, 93, V 5, 44; semel 's' pro 'f': II 6, 79.

h et l: ter 'h' exstat pro 'l': I 2, 234, I 4, 66, V 3, 35; semel 'l' pro 'h': IV 4, 40.

i et t: quater 'i' scripta est pro 't': I 1, 107, I 3, 63, III 4, 39, V 3, 219; ter 't' pro 'i': I 3, 20, II 2, 95, III 5, 94.

i et y: ter et uicies 'i' scripta occurrit pro 'y': I 1, 10, I 4, 77, I 5, 34, I 5, 39, I 6, 20, II 2, 67, II 2, 76, II 2, 109, II 3, 74, II 7, 100, II 7, 112, III 1, 24, III 1, 157, III 2, 121, III 2, 139, III 3, 61, III 3, 191, III 4, 22, III 4, 72, IV 1, 40, IV 5, 8, IV 6, 90, V 3, 280; quinquies 'y' scripta est pro 'i': I 2, 142, II 2, 109, III 3, 66, V 1 tit., V 5 tit. Sed non omnes eiusmodi commutationes in Klotzii apparatu sunt memoratae, ut I 1, 10.

N et H: quater 'N' scripta est pro 'H': I 1, 11, I 1, 15, I 4, 94, III 4, 83; ter 'H' pro 'N': I 4, 61, II 1, 50, IV 5, 13. 'n' et 'h' inter se commutatas non inueni.

r et t: quinquies 'r' scripta est pro 't': I 4, 11, I 4, 24, II 7, 14, IV 1, 5, V 3, 197; semel 't' pro 'r': II 6, 10.

r et y: decies 'r' occurrit pro 'y': I 3, 78, II 5, 28, III 1, 73,



III 5, 82, IV 5, 48, IV 6, 105, IV 8, 53, V 1, 100, V 2, 134, V 3, 77.

u et b: septies 'u' scripta est pro 'b': I 1, 54, I 4, 65, I 6, 10, III 5, 104, IV praef. 22, IV 6, 30, V 1, 139; semel 'b' pro 'u': III 3, 157. accedit I praef. 12, ubi librarius primum recte scripsit 'b', tum expunxit et 'u' suprascripsit.

u et o: bis pro 'o' scripta est 'u': III 1, 149, IV 6, 14. praeterea autem sexies Matritensis exhibet '-us' pro '-os': III 1, 182, III 4, 103, IV 6, 35, IV 8, 57, V 3, 7, V 3, 280, quae commutatio ligatura effecta esse uidetur.

Neque silentio premam commutationem syllabarum '-us' et '-is', quam ex ligatura archetypi explicandam esse Klotzius p. XI recte dixit, in Matritensi nonnumquam ita occurrere, ut ipse librarius syllabam '-us' per errorem scriptam mutarit in '-is': III 3, 68, III 3, 168, IV 4, 80, V 2, 13.

Praeterea non solum litterae '-s' et '-m' finales (cf. Klotz. p. XI) saepius inter se commutatae sunt, sed etiam 'm' finalis interdum omissa est, uelut II praef. 10, II praef. 19, al., et saepe occurrit perperam addita, ut I 5, 41, I 6, 24, I 6, 61, al. Quod certe effectum est lineola illa supra uocalem posita, qua 'm' littera indicari solebat. Eadem cum 'n' quoque indicaretur, etiam haec littera in mediis uocabulis et praue omissa inuenitur, uelut I 1, 73, IV 3, 125, et falso addita, uelut IV 4, 13, IV 4, 64.

Huc addiderim 'h' in uocabulorum initiis omissam esse his locis: I praef. 29, I 2, 86, I 5, 59, II 4, 4, IV 9 tit., V 1, 15, V 1, 255, V 2, 157, V 3, 99, atque I 4, 18, I 5, 4, II 1, 129, II 3, 74 perperam additam esse, sed I 4, 18 et II 1, 129 ab ipso librario **M**[1] deletam. Sed saepius 'h' perperam siue omissam siue positam esse ipse Klotzius p. LXXX testatur. Praeterea autem in mediis uocabulis saepissime 'h' praue est scripta et praue omissa, ut I 2, 129, I 2, 220, I 2, 252, I 3, 31 atque I 6, 100, II 1, 116, II 2, 60, al.

Illi, quibus enumerandis iam finis est faciendus, librariorum errores partim certe effecti sunt scriptura, qua codicis Matritensis exemplar exaratum fuit, uelut commutationes lit-

terarum 'a' et 'o', 'c' et 's', 'e' et 'i', 'u' et 'b', quas litteras in exemplari suo difficillime discerni potuisse Matritensis librarius ipse quasi testatur eo, quod nonnumquam alteram utram litteram scriptam deleuit et alteram posuit. huc pertinent etiam commutationes litterarum 'c' et 'e', 'r' et 't', quae in scriptura Gothica facillime interdum possunt commutari. Partim autem menda, quae in Matritensi inueniuntur, originis sunt uetustioris, ut 'ae' et 'e', 'c' et 'g', 'f' et 'ph' inter se commutatae, quae commutationes iam in codice Laurentiano insunt; partim errores debentur ipsius Matritensis librarii neglegentiae, uelut 'h' perperam addita, quam duobus locis (I 4, 18, II 1, 129) ipse deleuit; partim menda sine dubio orta sunt e neglegentia eius qui codicis Matritensis exemplar scripsit. Sed omnes earundem litterarum commutationes et omnia eiusdem generis menda uni eidemque causae tribuenda esse non dixerim.

Sed reuertamur ad illud, unde profecti hanc digressionem fecimus. Supra enim palaeographicis argumentis demonstrasse mihi uideor Siluarum codicem, qui Constantiensis Concilii temporibus prope Constantiam repertus est, saeculo nono exaratum fuisse, illum autem librum, quem Poggius ex hoc uetusto codice exarandum curauit et ad Franciscum Barbarum Venetum misit, nobis non iam praesto esse, sed nil nisi apographum, dico codicem Matritensem. Qua in re Klotzium erroris coarguisse mihi uideor, qui Matritensem eundem codicem esse contendit quem Poggius per Brandinum Pisanum in Italiam misit. Itaque restat, ut examinemus, quantum ualeant argumenta quibus nisus Klotzius illam sententiam pronuntiauit.

Ac summum quidem Klotzii argumentum, quo omnibus illis uiris doctis supra (p. 4 adn. 1) laudatis persuasit, hoc est (p. XLIX) quod correcturae codicis Matritensis **M** altera manu scriptae (**M**^{2}) ipsius Poggii manu factae esse Krohnio uidentur. Quam ad sententiam eo perductus est, quod notae **M**^{2} ab eodem scriptae sunt, a quo codex Matritensis **X** 81 exaratus est, qui Asconium Pedianum et Valerii Flacci partem a Poggio inuentam con-

tinet et cum Matritensi Siluarum aliqua ratione coniunctus fuisse uidetur. Hunc enim codicem Matritensem X 81 ab ipso Poggio scriptum esse Krohnius (apud Clarkium 'Classical Review' XIII p. 119) sibi persuasit ea de causa, quod totus character scribendi quam maxime accedat ad notas interlineares uel marginales codicis Hamiltonensis 166, quem a Poggio scriptum esse constat. Quo in codice Hamiltonensi quamquam scriptura contextus uerborum aliquantum differt a scriptura notarum, tamen et has et illum a Poggio scripta esse et Krohnius et Clarkius l. l. p. 120 affirmant. Sed exsistit difficultas, quae summi est momenti. Discrepat enim codicis X 81 scriptura ab Hamiltonensis. Quod Krohnius (ap. Clark. p. 119 et Klotz. p. L) ita explicauit, ut diceret Hamiltonensem 'bellisima' manu scripsisse Poggium quasi uenditurum, Matritensem X 81 autem ueloci manu, ut sibi amicisque seruaret thesauros modo repertos. Vides igitur satis implicata esse argumenta, quibus Krohnius notas **M**[2] ab ipso Poggio scriptas esse probare studet. Clarkius autem l. l. p. 120 contra Krohnium attulit rationes dignissimas quae considerentur. Qui postquam Matritensem X 81 Matriti contulit, scripturae Poggianae operam dedit tribus usus codicibus Laurentianis (XLVIII 22, L 31, LXVII 15) et cod. Vaticano 3245, qui, quin a Poggio scripti sint, dubium non est. Quibus codicibus collatis Clarkius sibi persuasit scripturam eorum eandem quidem esse quam Hamiltonensis 166, et textus ipsius et notarum, sed eandem atque Matritensis X 81 esse sibi non potuit persuadere. Notas enim marginales illorum codicum quamquam saepe prope accedant ad scripturam textus codicis X 81, tamen manus uelocis Poggianae non esse specimina, quia plerumque lenta manu scriptae sint. Itaque cum manus uelocis Poggii exempla praesto non sint, Krohnii sententiam X 81 a Poggio ueloci manu scriptum esse Clarkius sequi dubitat. Praeterea uero Krohnii opinio eo quoque uehementer labefactatur, quod testibus Ellisio (Hermathena 1893 p. 264) et Clarkio (Classical Review X p. 302 et 304) Asconius et Valerius Flaccus in Matritensi X 81 scriptura admodum aequabili et dilucida exarati sunt, quam ob rem

eo difficilius credere possumus codicem **X** 81 a Poggio manu ueloci scriptum esse, quali in Valerio Flacco et Asconio Pediano transcribendis se usum esse Poggius ipse in illa epistula ad Guarinum data (I 1, 5 Ton.) testatur. Quas Clarkii dubitationes Klotzius, qui Krohnii sententiam prorsus secutus est, refellere non potuit neque alia ad Krohnii sententiam defendendam argumenta potuit proferre. Videmus igitur quod Klotzius Krohnium secutus tam confidenter pronuntiat, Matritensem **X** 81 ab ipso Poggio exaratum esse, minime pro certo esse exploratum. Ceterum codicis Vaticani 3245 a Poggio scripti lineae septem photographice repraesentatae sunt a Nolhac 'La Bibliothèque de Fulvio Orsini' Parisiis 1887. Vbi litterarum 'd', 't', 's', 'x' formae longissime recedunt a notis $\mathbf{M}^2$.

Atque augetur mihi dubitatio alia de causa. Argumentum enim, quod Klotzius, ut **X** 81 a Poggio scriptum esse confirmaret, addidit (p. XLIX sq.), in codice **X** 81 fol. 1—17 nonnulla ex Chronico Sigisberti Gemblacensis satis ueIociter exscripta esse, quod a Poggio in usum suum excerptum esse constat, tantum abest ut quid ualeat, ut paene contrarium demonstrare uideatur. Scriptura enim, qua Sigisbertus in cod. **X** 81 exaratus est, a scriptura reliqui codicis tantum distat, ut Chronicon alia manu atque Asconius et Valerius Flaccus scriptum esse et Loewio uisum sit (Sitzungsber. der Wiener Akad. CXIII p. 276/77) et Knustio, qui iam ante Loewium codicem **X** 81 inspexit et Chronicon Sigisberti in Bethmanni usum contulit (Monumenta Germaniae historica VI p. 296). Atque ut nihilominus cum Clarkio (Classical Review X p. 302) putemus reliquum codicem **X** 81 ab eodem exaratum esse qui Chronicon festinantius scriptum exarauit, id ipsum quod Chronicon eodem codice continetur quo Asconius et Valerius Flaccus, impedimento est, ne **X** 81 a Poggio scriptum esse arbitremur. Etenim Valerium Flaccum et Asconium Pedianum una cum Quintiliano Poggius in Sancti Galli monasterio anno 1416 repperit et sua manu descriptos in Italiam misit. (Poggii Epist. ed. Th. de Tonellis, Florentiae 1832, I 1, 5 p. 28). Chronicon autem illud Poggius in Britannia,

ubi post Concilii Constantiensis tempora est uersatus, inuenit et excerpsit (cf. Voigt 'Wiederbelebung des klass. Altertums' I[3] p. 247). Itaque fieri non potuit, ut Poggius Sigisberti Chronicon in unum eundemque codicem referret atque Asconium et Valerium Flaccum, quippe quos iam nonnullis annis ante longe alibi terrarum inuenisset et descriptos in Italiam misisset. Nam ab initio Chronicon illud et Asconius Valeriusque Flaccus hunc unum codicem X 81 effecisse uidentur, cum nemo adhuc eorum, qui Matritensem X 81 contulerunt, statuerit hos tres libros non ab initio hoc uno codice comprehensos fuisse. Illam autem dubitationem, quam supra moui, si quis ita soluere conabitur, ut dicat X 81 non esse librum prope Constantiam a Poggio scriptum, sed apographum a Poggio in Italia factum, mihi non persuadebit, cum ueri uideatur dissimile Poggium, uirum illum litteris eruditissimum, Chronicon scriptoris, qui undecimo fuit saeculo, et auctores illos antiquos, opera tam disparia, in unum eundemque rettulisse codicem. Quamquam concedo argumenta mea, quae de Sigisberti Chronico aduersus Klotzium protuli, tum demum satis ualidam habitura esse uim, cum quis pro certo explorauerit Chronicon et Asconium Valeriumque inde ab initio unum eundemque codicem effecisse. — Ceterum ne subscriptio quidem codicis X 81, qua Valerium Flaccum una cum Asconio in Sancti Galli monasterio a se repertos esse Poggius testatur, testimonio est hunc codicem ab ipso Poggio scriptum esse, cum e codice a Poggio exarato descripta esse possit pariter atque in Valerii Flacci codice Vaticano 1613, qui eandem habet subscriptionem quam codex X 81.

Itaque cum nequaquam constet ab ipso Poggio Matritensem X 81 exaratum esse, hoc quoque admodum est dubium quod Krohnius contendit in Siluarum codice Matritensi correcturas M^2 ipsius Poggii manu esse ortas.

Sed etiamsi codex X 81 ab ipso Poggio confectus est, h. e. correcturae M^2 in Matritensi M 31 Poggii manu scriptae sunt, tamen inde non efficitur Matritensem Siluarum eundem esse librum quem Poggius Constantia ad Franciscum Barbarum

misit. Nam cum Poggium multa scriptorum ueterum opera Romae describenda curauisse ex ipsius epistulis sciamus, in his ea quoque, quae ipse reppererat, fieri potuit, ut etiam Siluas Romae describi iuberet et hunc quem ita sibi parauerat librum occasione oblata hic illic emendaret. Quod ueri fit simillimum ex Poggii epistula anno 1429 ad Nicolaum Niccoli data (epist. I 4, 4 Ton.), qua Poggius queritur, quod Niccoli amicus Lucretium suum iam per quattuordecim annos tenuerit, item Asconium Pedianum, Petronium Arbitrum, Statium Siluarum, quos omnes propter amici incuriam legere nequeat, si quando cupiat. Itaque haec a Nicolao petit: 'Te vero rogo, ut vel Lucretium, vel Asconium ad me mittas, quos faciam quamprimum transcribi, et postea ad te remittam, ut illos teneas quantum libet: idemque si de Petronio effeceris, erit mihi pergratum.' Suos igitur ipsius libros Poggius uult transcribendos curare, ut ad amicum, qui iam per quattuordecim fere annos tenuit, remittat. Atque inter eos libros, quos propter amici neglegentiam legere nequeat, cum Poggius Statii quoque Siluas memoret, quid est credibilius quam Nicolaum Niccoli non solum Lucretium, Asconium, Petronium Arbitrum, sed etiam Siluas Poggio remisisse, qui transcribendos curaret et, modo cuperet, sibi remitteret? Itaque hac occasione data Poggium Siluas describi, h. e. codicem illum, qui nunc est Matritensis M 31, scribi iussisse ueri est simile — modo correcturae M^2 a Poggii ipsius manu oriundae sint.

At obstare uidetur alterum argumentum, quo Klotzius Matritensem esse librum a Poggio in Italiam missum sibi persuasit. Nititur enim eo, quod ipsae litterarum formae doceant Matritensem Siluarum codicem non in Italia scriptum esse, et quod a Germano eum scriptum esse Loewius ipse putauerit. Ac re uera scriptura codicis Matritensis proxime accedit ad scripturam illam, quae Gothica appellari solet. Nicolaus autem Niccoli et Poggius ceterique uiri illi, qui ueterum operibus operam dabant, utebantur scriptura illa multo simpliciore et dilucidiore, quae saeculo decimo et undecimo

scribi solita erat (cf. G. Voigt 'Wiederbelebung des klassischen Altertums' I³p. 398, Wattenbach l. l. p. 42). Atque Poggio fuisse amanuensem, quem scripturam illam antiquam docuerat, Klotzius p. LXXIV recte memorat. Sed quod Matritensis Gothica fere scriptura exaratus est, non antiqua qua Poggius Italique utebantur, nobis non erit documento Matritensem in Italia scriptum non esse, si considerauerimus, quam saepe Poggius aliis scribis usus sit. Neapolitanum enim illum scribam (qui solus Klotzio notus est, cum Poggii epistulas non inspexisse uideatur), qui ab ipso Poggio scriptura antiqua eruditus optime scribebat (Poggii epist. ed. de Ton. I 2, 27), iam duobus mensibus post hominem turpissimae uitae esse Poggius in epistula I 2, 29 ad Nicolaum data queritur, cuius nequitiam aegre ferat. Quare se, si Neapolitanus se deseruerit, alio scriba, Gallico, uti uelle, qui quidem parum nouerit. Hic Gallus uidetur idem esse quem litteras antiquas se docuisse Poggius mense Martio anni sequentis (1426) Leonardo Aretino scribit (epist. I 2, 39). Eidem Leonardo postquam eodem anno scripsit librarium suum propter Cosmi neglegentiam uacare (I 2, 41), insequenti anno Poggium duos scribas habuisse ex epist. I 3, 12 intellegimus. Sed sub finem eiusdem mensis Nicolao scribit: 'scriptor meus uacat iamdudum diligentia tua' (epist. I 3, 13) et mense Octobri sequentis anni (1428) de uno scriba suo uerba facit (epist. I 3, 22). Mense autem Nouembri eiusdem anni Poggius Nicolao scribit: 'hi mei scriptores tanta molestia me afficiunt, ut persaepe mallem carere libris, quam illos tanto fastidio parari.' (epist. I 3, 27). At mense Januario anni 1430 Nicolao scribit (epist. I 4, 17) unum scribam se dimisisse eumque qui melius scribat, alterum autem forsan ipsum quoque se dimissurum esse, cum Nicolao a Florentia absente nihil habeat scribendum.

Amplius hanc rem sequi non potui, quia solum primum uolumen epistularum Poggii a Thomasio de Tonellis editarum, quod opus rarissimum esse dolemus[1]), mihi praesto fuit. Sed

1) primi enim uoluminis (a. 1832 ed.), cuius exemplari Gottingensi uti mihi licuit, pauca tantum exemplaria in Germaniae bibliothecis asseruantur, alterius (a. 1859 ed.) et tertii (a. 1861 ed.) exemplar in Germania

uel ex iis quae protuli, apparet facillime fieri potuisse, ut Poggio scriba esset, qui ea scriptura, qua Matritensis exaratus est, uti consuerat quemque Poggius litteras antiquas non docuerat, fortasse cum nihil aliud scribendum ei mandare uellet. Siluas enim Poggium non magni fecisse inde est colligendum, quod iam anno 1427 (epist. I 3, 12) Valerium Flaccum, Asconium Pedianum, Varronem, Propertium a Nicolao repetit, sed non Siluas, quas ipsas quoque Nicolaum Niccoli iam per multos annos domi suae tenuisse ex epist. I 4, 4 (anno 1429 scripta) intellegimus, tum quod non multis diebus antequam illam epistulam I 4, 4 scripsit, Poggius a Nicolao petit (I 4, 2), ut Lucretium, Asconium, Petronium sibi remittat, sed Siluarum non facit mentionem, denique quod in ipsa illa epistula dicit quidem, Nicolaum Lucretium suum iam per quattuordecim annos tenuisse, item Asconium, Petronium, Statium Siluarum, sed solum Lucretium, Asconium, Petronium ut sibi mittat, amicum adhortatur, de Siluis autem ne unum quidem facit uerbum. Tam parui igitur cum Poggius Siluas aestimaret, facile fieri poterat, ut eas librario alicui mandaret describendas, quem litteras illas antiquas non docuerat. At hic quod scriptura usus est tam prope ad Gothicam quae uocatur accedente, mirum non est. Supra enim ex epist. I 2,29 intelleximus Poggio fuisse scribam 'Gallicum qui parum nouit'. Quem priusquam Poggius scripturam antiquam docuit, 'Gallica scriptura' usum esse apparet. Hanc scripturam quamnam intellexerit Poggius, perspicimus ex epist. I 2, 29, in qua Nicolao Niccoli cum alia scribit tum haec: 'De Plinio Episcopi Vintoniensis, quod quaeris, ille quidem antiquis est litteris, sed quae gallicum redoleant; nosti enim quam vocemus formam gallicam. Aliqua tamen in re videtur melior. Sed illis litteris antiquis ad morem nostrum nequaquam est scriptus'. Gallicam igitur scripturam Poggium illam intellexisse existimarim, quae tum plerumque scribebatur et

nullum exstat nisi quod Augustus Wilmanns Berolinensis regiis bibliothecis praefectus possidet. cf. O. E. Schmidt 'Gian-Francesco Poggio Bracciolini' Zeitschr. f. allg. Gesch. III p. 395.

Gothica quoque uocabatur[1]). Itaque facillime fieri poterat, ut Poggio ad Siluas describendas scriba praesto esset, qui scriptura illa fere Gothica, qua Matritensis exaratus est, utebatur, praesertim cum ita ut Gallum scribam, etiam Germanum Poggius habere potuerit. Ceterum si codicis Siluarum Matritensis notae M^2 non ab ipso Poggio factae sunt, nihilominus in Poggii officina Matritensis exaratus esse potest. Si uero alius quis eum scribendum curauit, eodem modo Siluae potuerunt describi a librario scripturae 'antiquae' Italorum non perito. Nam alios in scribis habendis meliorem fortunam expertos esse quam Poggium ueri est dissimillimum.

Unum iam restat argumentum, quo Klotzius, ut Matritensem librum illum prope Constantiam Poggii iussu scriptum esse confirmaret, usus est, idque, quod Siluae, quas una cum Manilio Poggius repperit, una cum eodem exstant in codice Matritensi. Quod argumentum quamquam a R. Helm l. l. col. 7 sqq. probatum est, tamen uix dignum est quod memorem, quia totus liber a Poggio in Italiam missus, Manilium et Siluas continens, integer descriptus esse potest.

Videmus igitur quaecumque Klotzius attulit argumenta, ut Matritensem eundem esse codicem demonstraret, quem Poggius per Brandinum Pisanum ad Franciscum Barbarum misit, prorsus nihil ualere. Itaque ab omni dubitatione remotum mihi constat quod supra palaeographicis argumentis demonstraui: Matritensis non est liber ille, quem Poggius prope Constantiam ex uetusto codice a semet ipso reperto exarandum curauit et ad Franciscum

1) Errauit igitur Klotzius qui p. LXXIII sq. eam ob causam, quod Petrus Victorius codicis Laurentiani plut. 30, 10 scripturam, quae talis est qualis inde ab undecimo saeculo scribi solita erat, 'Gallicam' nominauit, Politianum quoque 'Gallicam manum' Italorum scripturam antiquam intellexisse dicit. Quod quam perperam suspicatus esset, Klotzius inde intellegere poterat, quod Politianus ipse eiusdem codicis Laurentiani 30, 10 scripturam non Gallicam, sed semiueterem appellauit. Ceterum Politianus Poggio etiam uiuo natus est, Petrus Victorius autem quinque annis post Politiani mortem. Apparet igitur Politianum scripturam Gallicam non 'antiquam' Italorum intellexisse, sed eandem quam Poggius Gallicam dixit, h. e. scripturam recentem.

Barbarum Venetum misit, sed est illius libri apographum haud ita multo tempore post in Italia exaratum. quod ipsius Poggii iussu uidetur scriptum esse, si re uera correcturae M^2 eius manu scriptae sunt.

II. DE CODICE POGGII A POLITIANO COLLATO.

Illud quod demonstrasse mihi uideor, Matritensem esse apographum libri a Poggio in Italiam missi, non ipsum illum codicem prope Constantiam exaratum, egregie confirmatur testimonio Angeli Politiani, qui in editionis Siluarum principis exemplar nunc Romae in bibliotheca Corsiniana asseruatum aliquantum lectionum numerum rettulit, quas ex ipso illo codice a Poggio 'ex Gallia' uel 'e Germania' (quibus uerbis regionem fere prope Constantiam iacentem significari iam ante plus uiginti quinque annos C. Wachsmuth in 'Mus. Rhen. uol. XXIX. p. 355 et H. Blass, ibid. XXX. p. 461 recte statuerunt) in Italiam relato se descripsisse et subscriptione testatur et uerbis quae singulis illis lectionibus addidit (ī antiq° codice, ī cod. poggii, ī li° pog., pog. ī ātiq°, sim.). Atque cum Politiani notae, quae in exemplari Corsiniano exstant, interdum difficillime sint dinoscendae, de numero lectionum a Politiano dilucidis uerbis codici Poggiano tributarum (quae Baehrensio auctore signo A* notari solent) uiri docti adhuc dissentiunt. Octoginta enim fere eas esse Hermannus Nohl 'Quaestiones Statianae' 1871 p. 31 dixit, qui Adolphi Kiessling et Ulrici Koehler collatione usus est, solum sexaginta Baehrensius in Siluarum editione sua anno 1876 emissa ex eadem collatione attulit, Vollmer autem Siluarum nuperus editor (Lipsiae 1898), qui exemplaris Corsiniani tabulas photographicas, quas Zangemeistero auctore bibliotheca uniuersitatis litterarum Heidelbergensis faciendas curauit, accuratissime se contulisse p. VII testatur, centum et septem notas A* attulit et praeterea triginta quinque notas, quibus utrum codicis Poggiani signum additum

sit necne, ipsi non satis constat. Sed Klotzius Vollmerum nimium oculorum acie fretum ex tabulis elicuisse p. LII suspicatur et tantum unam et octoginta lectiones A* p. LIV sqq. attulit; quamquam quo iure id fecerit, non intellegimus, quoniam ipse Politiani notas non inspexit. Nihilominus autem Klotzium maximam in partem uera suspicatum esse ipse mihi persuasi, cum Wachsmuthio eximia benignitate intercedente Zangemeisteri liberalitate factum sit, ut tabulas Heidelbergenses Lipsiam transmissas conferre mihi liceret. Cum enim charta libri Corsiniani plerumque scabra sit et multis locis maculas putridas conceperit, atque cum atramentum, quo Politianus notas A* scripsit, admodum sit pallidum et haud raro tantopere diffluxerit, ut qui codicem confert primo obtuto non satis dinoscat, utrum chartae scabritia maior seu macula putrida praesto sit an litterarum ductus[1]), saepius factum est, ut Vollmer, ubi prope uerbum aliquod seu a Politiano scriptum seu typis impressum scabritiae sunt signa maiora aut charta putruit, notam codicis Poggiani a Politiano additam esse putaret, quae re uera non exstat. Itaque inueni quascumque lectiones Vollmer praeter eas, quae a Klotzio p. LIV sqq. sunt propositae, ut notas A* attulit, re uera signo codicis antiqui non esse notatas exceptis quattuor: I praef. 35, I 4, 40, II 2, 36, IV 8, 19. Ab altera autem parte ex libro Corsiniano sex notas A* exscripsi tantopere dilutas, ut ne Vollmer quidem, quamquam ne unam quidem notam A* oculos suos fugisse p. VII affirmat, illas dinouerit:

I 2, 252 choris **a**, *supra* ch *expunctam scr.* to ãt (= *antiquus codex*)
I 5, 43 animoque **a**, *supra* mo *scr.* P. (= *Poggii liber*) mos .Do.
I 6, 8 parthen **a**, *in marg. dextro scr.* p ///// ⌊c /// og⌉[2])
II praef. 28 de hoc **a**, *in marg. dextro scr.* deh /// ⌊ī Antiq°
li° p ///⌉

1) uelut II 7, 8 ubi in dextro margine scriptum est 'Euantię' suprascriptis uerbis 'i co Pog', quam notam nemo iam dispexit, sed omnes maculam putridam subesse putauisse uidentur.

2) uerba, quae his uncis secludenda curaui, supra ea, ad quae spectant, scripta sunt.

II 7, 8 euhantię **a**, *in marg. d. scr:* Euantię, |ī co Pog]
IV 1, 34 nefas **a**, *del. et suprascr:* tamen c. a. (= *codex antiquus*)

Itaque ad octoginta unam notas A* a Klotzio propositas accedunt quattuor illae a Vollmero recte allatae et hae sex, quas ego exscripsi. Efficiuntur igitur una et nonaginta lectiones, quas ex codice Poggii se descripsisse apertis uerbis Politianus testatur. Alias autem notas A* haud facile quemquam inuestigaturum esse confido, quoniam quam maxima potui diligentia tabulas Heidelbergenses contuli. Illas nonaginta unam lectiones Politiano teste e codice Poggiano descriptas cum codicis Matritensis lectionibus conferamus necesse est, ut, quaenam ratio inter illum Poggii librum a Politiano adhibitum et codicem Matritensem intercedat, exploremus. Itaque cum compararem inueni, e notis A* septuaginta cum Matritensi prorsus consentire, in his uiginti quattuor uel in lectionibus aperte falsis, nouem in lacunis, uiginti autem lectiones A* a Matritensi discrepare. Sunt autem haece:

I 2, 147 āt uł nitidis A*	uiridis **M** [*p. LIV*)
I 2, 203 nıtıdę A*	nitiade *uel* mtiade **M** (*cf. Kl.*
I 4, 66 phębeam A*	phebeiam **M**
I 4, 88 lacera A*	laeta ('et' *ligatura scr.*) **M**
I 4, 90 veldae A*	uel dae **M**
I 6, 10 velaria A*	uellaria **M**
I 6, 20 pregnātes A*	Praegnates **M**
II 1, 88 Elegisse A*	Flegisse **M**
II 2, 82 limau A*	liman **M**
II 3, 10 hęc A*	et **M**

(perperam Klotzius scripsit 'et (hęc) A*', tamquam utrumque uerbum Pol. ex codice Poggii testatus sit; non raro enim Pol. lectionem editionis principis eo tantum deleuit, quod aliam lectionem adscripsit)

II 3, 55 umbris vł humeris A*	umbris **M**, ł umeris **M**[1] in mg
II 6, 3 aaedere A*	accedere **M**
II 7, 8 Euantię A*	euhantiae **M**
III 2, 56 Seuus et A*	Saeuus e **M**

IV 3, 81 seruitusque **A***	scruitusque **M**
V 1, 82 rotage **A***	rotagae **M**
V 3, 209 luota **A***	biota **M** *(sed facile legitur* luoca)
V 3, 219 Quam tuus **A*** (*non Vollmeri* 'quam ums')	Quam iuus **M**
V 5, 8 lacescis **A***	lacestis **M**
V 5, 25 tumul uctus **A***	tumul.... nctus **M**

Satis multis igitur lectionibus codex Poggii a Politiano collatus discrepat a codice Matritensi.

Summi uero momenti est, quod ad uersum I 4, 86[a] in editione principe ita exstantem:

'Attollam cantu gaudet trasimenus et alpes', cui praecedit:
'Expectare fuit gaudet trasimenus et alpes',

Politianus adscripsit: 'hic versus deest ĩ libro uetustissimo poggij qui e germania in Italiã ẽ relatus.' At exstat ille uersus in codice Matritensi. Itaque, praesertim cum tantum notarum **A*** numerum a Matritensi discrepare modo uiderimus, apparet Poggii librum e 'Germania' in Italiam relatum, quem Politianus adhibuit, alium esse codicem atque Matritensem. Nam Vollmer qui in ephemeride 'Deutsche Litteraturzeitung' 1900, col. 2148, hanc discrepantiam ita soluere studuit, ut Politanum hoc loco errasse diceret, certe neminem habebit assentientem. Quanta enim diligentia Politianus in hunc uersum animum aduerterit, inde intellegimus, quod uerbis 'ĩ libro uetustissimo poggij' adiunxit uerba 'qui e germania in Italiã ẽ relatus', qualia alteri notae non addidit. Itaque ne Klotzius quidem hoc loco Politianum neglegentiae arguere ausus est. Matritensis igitur cum Poggii ille codex prope Constantiam exaratus et a Politiano collatus esse non possit, apparet Poggii codicem fatorum inuidia perisse aut alicubi latere, id quod iam supra ex aliis argumentis intelleximus. Klotzius quidem, quem nullo ualido nisum argumento contendisse uidimus Matritensem esse ipsum illum codicem Poggianum uetustissimum, ut hanc suam opinionem iam possit retinere, ex discrepantiis, quae inter Poggii codicem a Politiano adhibitum et Matritensem intercedunt, longe aliud quid efficit. Concludit

enim inde, quod Poggii liber a Politiano adhibitus et Matritensis tantopere inter se discrepant, Politianum Matritensem ipsum quidem non contulisse, sed — Matritensis codicis aliquod apographum. Arguit igitur Politianum uirum illum de litteris egregie meritum (cf. Jacob Maehly 'Angelus Politianus', Lips. 1864 p. 52 sqq.) erroris tam immanis, ut uel hanc ob causam Klotzii sententia in dubium uocari debeat. Argumentum uero ad defendendam conclusionem illam Klotzius non potest proferre (scilicet praua, quam de Matritensi habet, opinione excepta) nisi unum: Dicit enim (p. LXXII sq.) illum uersum I 4, 86ª iniuria ab editoribus e contextu remotum esse. Neque enim uersum interpolationem sapere, neque perspici posse, quomodo et unde in Matritensem inrepserit. Itaque cum genuinus ille uersus in Matritensi legatur, in codice autem a Politiano adhibito non exstiterit, nihil restare, nisi ut coniciamus librum a Politiano collatum codicis Matritensis apographum fuisse, in quo ille uersus I 4, 86ª omissus fuerit. Pendet igitur tota quaestio inde, utrum uersus I 4, 86ª genuinus sit necne. Quod cum examinamus, hoc primum consideremus necesse est uersus quales in Matritensi exstant, ferri nullo modo posse. Certe enim Statius non fuit tam ineptus, ut uersus sequentis partem extremam eandem faceret atque antecedentis neque quicquam haberet, quod eo efficeret. Itaque Klotzius ut uersum 86ª genuinum esse comprobet, dicit uersus 86 'Expectare fuit gaudet thrasymennus et alpes' tantum prima duo uocabula 'Expectare fuit' a Statio oriunda esse, reliqua autem Statii uerba intercidisse, cum librarius a medio u. 86 aberraret ad sequentem uersum huiusque alteram partem bis scriberet. Quod uel per se ueri est dissimile eam ob causam, quod Matritensis librarius, quamquam indoctissimus erat, tamen quam summa potuit diligentia exemplar suum descripsit. Plus enim centum uerba primum ipsius errore perperam scripta ipse (M^1) correxit, tum uero nonnumquam ordinem uersuum sua culpa turbatum ipse statim restituit praescriptis litteris 'b a', 'c a b' (I 1, 37, 38, III 1, 172, 173, 174, III 2, 134, 135) atque uel singulorum uerborum ordinem a semet turbatum restituit:

I 3, 48 labor modis **M**, modis labor **M**[1], III 5, 55 recedit corde **M**, corde recedit **M**[1], IV 1, 35 saepe hunc **M**, hunc saepe **M**[1], V 1, 144 dextro tam **M**, tam textro **M**[1]. Tanta igitur diligentia cum Matritensis librarius usus sit, certe, si a medio uersu I 4, 86 ad sequentis uersus alteram partem aberrasset, in scribendo uersu I 4, 86[a] errorem suum intellexisset et correxisset. Ad quod argumentum accedit alterum. Cum enim lacunam statuimus, ratio postulat, ut sententia aliqua desideretur, quam in lacuna fuisse necesse est. Atque Klotzius talem fere sententiam in lacuna, quam statuit, fuisse suspicatur: '⟨sed quid tua, Gallice, facta⟩ attollam cantu'. Quam sententiam quo iure hoc loco fuisse arbitretur Klotzius, ut possimus diiudicare, totus huius loci sensus nobis considerandus est. Sunt enim omnia haec Apollinis uerba, qui uu. 61—105 Aesculapium adhortatur, ut ad Rutilium Gallicum grauissimo morbo affectum et animam iam efflaturum se conferat illique medeatur. Ne metuat Iouis fulmen. Tot enim egregias res Rutilium iam gessisse, ut Iuppiter ipse illo recreato gauisurus sit. Quod quo facilius Aesculapio persuadeat, Apollo aliquot res a Rutilio gestas enumerat additque tantas opes, quantas Gallicus parauerit, ne imperatorem quidem exspectare ausum esse. Quodsi pergit Apollo illis factis gaudere uel eorum animas, qui in clarissimis Romanorum proeliis inter pugnantes fuerint, hanc sententiam cum iis quae praecedunt artissime cohaerere neque quicquam in sententiarum conexu desiderari facile concedes. Klotzius autem inter hanc sententiam et illas talem fere sententiam fuisse putat: 'sed quid tua, Gallice, facta attollam cantu?' Sed diligenter est obseruandum Apollinem haec omnia Aesculapio eam ob causam dicere, ut ei persuadeat, ut Rutilio medeatur, qua de causa neque uerbis, quae praecedunt, Rutilium sustulit cantu neque hoc loco sane de cantu, quo Gallicum celebret, cogitat. Quam rem siquis ita explicabit, ut dicat quaecumque Apollo loquatur, cantu eum dicentem facere poetam, quae explicatio mihi quidem non placet, nihilominus sententia, quam hoc loco fuisse Klotzius arbitratur, ferri nequit. Dicit enim Apollo in iis

quae sequuntur (u. 89 sqq.) tempus non suppetere ad celebrandas omnes ceteras res a Rutilio gestas. Quod sane non diceret, si iam antea dixisset non esse opus Gallici facta cantu attollere. Vnde manifesto apparet non solum uerba, quae fere inserenda esse Klotzius putauit, ab hoc loco abhorrere, sed etiam quae in uersu 86[a] leguntur 'attollam cantu.' Itaque uersus 86 integer qualis traditus est retinendus est, praesertim quod eum cum iis quae praecedunt artissime cohaerere uidimus; uersus 86[a] autem emblema est. Quod eo facilius mihi persuasi, quia Matritensis interpretamentis interpolationibusque, quae ex exemplari suo librarium descripsisse ueri est simillimum, non prorsus caret. Nam uel in primo Siluarum uersu in Matritensi scriptum est 'sedes moles', ubi 'sedes' non genuinum, sed uocabuli 'moles' interpretamentum esse manifestissimum est. Tum uero in Matritensi exstant nonnullae lectiones ab ipso Matritensis librario (**M**[1]) in margine adscriptae, quae uiri alicuius docti sapientiam produnt et ab hoc in Matritensis exemplari margini appositae fuisse atque inde a Matritensis librario nullo iudicio adhibito descriptae esse uidentur:

I 6, 11 eurus **M**	ł eous **M**[1] *in margine*
II 2, 4 bromio **M**	bromo **M**[1] *in marg.*
II 2, 26 mira **M**	mirum **M**[1] *in marg.*[1])

Has lectiones 'eous' pro 'eurus', 'bromo' pro 'Bromio', 'mirum' pro 'mira' coniecturas satis elegantes, etiamsi superuacuas, et 'sedes' (I 1, 1) interpretamentum rectum esse nemo negabit. Fortasse Poggius uel Nicolaus Niccoli, quem Siluarum codicem per quattuordecim fere annos domi suae tenuisse supra (p. 25) uiderimus, hoc interpretamentum illasque coniecturas in Matritensis exemplari adscripsit. Idem uir doctus eodem modo quo I 1, 1 'moles' uerbo 'sedes' interpretatus est, hoc loco uerbum

1) Reliquae huius modi lectiones quae sunt in Matritensi:

II 3, 55 umbris **M** ł umeris **M**[1] *in marg.*

IV 1, 23 aris **M** astris **M**[1] *in marg.*

III 3, 114 uultibus et sibimet similis **M**, ubi 'uultibus' interpretamentum esse manifestum est, ad hanc rem nihil ualent, quia Politianus eas in codice antiquo fuisse testatur.

'laudem' (u. 85) uerbis 'attollam cantu' in exemplaris, unde Matritensis descriptus est, margine adnotatis accuratius explicauisse uidetur (id quod Curtius Wachsmuth inuenit et benigne mecum communicauit). Quae uerba dimidiam fere hexametri partem efficientia et forte paulo magis infra quam debebant scripta cum legeret Matritensis librarius, quanta erat ignorantia, ea uersus alicuius post u. 86 sequentis initium esse ratus, cum alteram huius uersus partem desideraret, hanc eandem esse putauit atque antecedentis et uerba 'gaudet thrasymennus et alpes' semel scripta bis sibi scribenda esse opinatus est. Itaque quod Klotzius negat perspici posse, quomodo et unde u. 86ª in Matritensem inrepserit, cum librarius multo indoctior fuerit, quam ut quicquam nouaret, nihil ualet. Videmus enim, quam facile fieri potuerit, ut post uersum 86 inreperet uersus 86ª, quo in sententiarum conexum nihil omnino offensionis praebentem sententia illata est ad hunc locum prorsus inepta.

Politianus autem ille uir doctissimus cum uerba 'attollam cantu', quae in margine codicis Poggiani alia manu adscripta fuisse uidentur, legeret, sane in eundem illum miserum errorem atque inscius iste Matritensis codicis librarius non incidit, sed uerba illa ab aliquo addita esse cum intellexisset, suo iure ad editionis principis uersum 86ª adscripsit: 'hic versus deest ĩ libro uetustissimo poggij qui e germania in Italiã ẽ relatus'.

Apparet igitur perperam Klotzium contendisse Politianum librum illum a Poggio in Italiam missum, quem se contulisse ille testatur, non contulisse. Atque cum aliquantus lectionum numerus, quas in codice Poggiano fuisse Politianus testis est, in Matritensi secus legatur, quin etiam totus uersus in Matritensi exstet interpolatus qui Politiano teste in Poggii libro non fuit, manifesto apparet Matritensem non esse codicem a Poggio in Italiam missum, sed nihil nisi apographum illius.

Quod aliis etiam argumentis egregie confirmatur. In eis enim lectionibus, quas ex Poggii codice se prompsisse Politianus testatur, insunt, quales non aliunde nisi ex eodem codice, ex quo Matritensis exaratus est, descriptae esse possunt.

I 2, 147 enim, ubi in libro Corsiniano impressum legitur

'uiridis', Politianus suprascripsit 'āt uł nitidis', quae lectio unice uera est. M autem et apographorum consensus praebent lectionem prorsus falsam 'uiridis'. Quam in lectionem uocabulum 'nitidis' haud facile potuit corrumpi nisi scriptura illa Gothica, quae post duodecimum fere saeculum adhibebatur. Atque cum in Matritensis exemplari persaepe 'n' pro 'u' legi potuisse supra (p. 9 sq.) uiderimus, et litterae 't' et 'r' in nulla scriptura facilius inter se commutari potuerint quam in Gothica illa (cf. Wattenbach 'Anl. z. lat. Pal.' p. 61), qua Matritensis exemplar exaratum fuisse uidimus, apparet corruptelam illam quae in Matritensi inest, eo ortam esse, quod uocabulum 'nitidis' in Matritensis exemplari tam neglegenter scriptum fuit, ut 'uiridis' quoque legi posset. Iam uero quoniam Politianus testatur 'āt uł nitidis', non 'āt nitidis', qua re uetamur arbitrari in codicem, quem Politianus adhibuit, lectionem 'nitidis' coniectura inrepsisse, qualem Domitius fecisse uidetur qui recte scripsit 'nitidis', quid est manifestius quam Politianum contulisse eundem illum codicem in quo 'nitidis' ita scriptum fuisse modo uidimus, ut etiam aliter legi posset, i. e. codicem, ex quo Matritensis est descriptus?

Accedunt alia argumenta: IV 3, 81 Matritensis habet lectionem 'scruitusque', apographa autem, cum librarii lectionem Matritensis sensu carere uiderint, praebent 'structusque'. Verum autem sine dubio nihil est nisi 'seruitusque'. Quod uocabulum in illud quod in Matritensi est monstrum 'scruitusque' ut mutaretur, certe effectum est scriptura exemplaris illius, unde Matritensis fluxit, quia 'c' et 'e' in scriptura Gothica interdum facillime inter se commutari potuerunt (cf. p. 21). Iam accurate considera quaeso, quae ad editionis principis uersum 'Sed grates ego strictiusque tanti' Politianus adscripserit. Postquam enim supra uocabuli 'ego' litteram 'e' scripsit 'a', in dextro margine adscripsit: '⌊.Do.⌋ strictus atque tanti ẽ | poggi v. lib. | Sic † struitusque tanti est | c̊ seruitus'. Quae omnia atque uel uerba typis impressa Politianus postquam lineis per uerba ductis deleuit, in margine sinistro haec adscripsit: 'Sed grates ago seruitusque tanti est ⌊.pog.⌋'. Ex quibus apertissime

elucet in codice, quem Politianus contulit, uocabulum 'seruitusque' ita scriptum fuisse, ut multo facilius 'struitusque' legi posset[1]). Cum uero in Matritensis exemplari uocabulum 'seruitusque' ita scriptum fuisse uiderimus, ut facilius 'scruitusque' legi posset uel 'struitusque', quod, quoniam in illo exemplari 'c' et 't' litteras inter se simillimas fuisse uidimus, idem est, dilucidissime apparet Politianum eundem codicem contulisse quem Matritensis librarius descripsit. An quis Klotzio credet Politianum contulisse codicis Matritensis apographum tam mire scriptum, ut lectio genuina, quamquam praua ex Matritensi erat descripta, nihilominus e litterarum ductibus erui posset, modo quis ut Politianus illis dinoscendis magnopere operam daret?

Addo aliud. V 3, 219 Matritensis exhibet lectionem aperte corruptam 'Quam ıuus', apographorum librarii scripserunt 'Quamuis', quae lectio uera esse nequit. Politianus autem ad editionis principis lectionem 'Qāuis ille dies' in margine sinistro adscripsit: '⌊āti.⌋ (= *antiquus codex*) Quam τuus ⌊.c̊. tuisque⌋ | ⌊.Do.⌋ Qualis et'. Vollmer igitur qui scripsit 'quam ums A*' male errauit in conferendi negotio. Illos litterarum ductus a Politiano scriptos cum contemplamur, fieri non potest, quin miremur, quod Politianus litteram τ uncialem scripsit, qua nusquam alibi usus est. Nam Vollmer, qui nonnullis locis e Politiani notis 'τ' attulit (IV 1, 25 hτ̃, IV 3, 106 hτ̃), non uera narrauit. Atque in illum litterae τ ductum cum accuratius animum aduertimus, uidemus magis pictam esse quam scriptam. Depinxit igitur Politianus litteram τ ex codice illo quem contulit. Illa autem litterae 't' forma cum sit scripturae uncialis uel semiuncialis uel minusculae uestustae neque post duodecimum fere saeculum in librariorum usu fuerit, non alibi nisi in codice uetustiore quam ipso Matritensi exstare potuit, nequaquam in Matritensis codicis apographo. Cum uero ex Matritensis corrupta lectione

1) Peruerse Krohnius ap. Vollm. p. 42 dixit hoc loco Politianum errasse uideri; quod uir doctus certe non dixisset, si accurata huius loci collatio ei praesto fuisset. Quamquam ne unus quidem ex eis, qui adhuc contulerunt, Politiani uerba ad hunc locum adscripta satis accurate dinouisse uidetur: cf. Klotz. p. LIV.

'ıuus' uideamus in Matritensis exemplari uocabulum 'tuus' ita scriptum fuisse, ut, quid sibi uellet, posset dubitari, atque cum Politianus idem uocabulum, immo eandem litteram in codice quem contulit satis mire scriptam fuisse testetur, nihil est certius nisi Matritensis librarium et Politianum unum eundemque codicem adhibuisse, h. e. codicem Poggii. Videmus igitur ex Politiani testimonio librarium a Poggio prope Constantiam conductum litterae τ ductum sic fere scriptum in uetusto codice a Poggio reperto inuenisse et, cum non intellegeret, magis depinxisse quam descripsisse. *Itaque in hac Politiani nota praesto est uestigium ductus litterarum illius uetusti codicis a Poggio reperti a librario Poggii memoriae traditum, quod, si nihil nisi Matritensis eiusque apographa praesto essent, obliuioni datum foret.*

Ex his quidem manifestissimum fit ab omni dubitatione remotum esse quod antea demonstraui, atque si forte cui ante haec extrema argumenta dubitationis aliquod uestigium remansit, eam omnem his tribus Politiani testimoniis radicitus euelli oportet: est igitur re uera Matritensis nihil nisi codicis Poggiani apographum, et Politianus ipsum illum codicem a Poggio in Italiam missum contulit.

Itaque lectiones illae a Politiano ex codice prope Constantiam exarato et a Poggio in Italiam misso, qui fatorum iniuria perisse uidetur, descriptae una cum Matritensis lectionibus ad Siluarum uerba constituenda adhibendae sunt. Atque ubi a Matritensi discrepant, in uniuersum eis maior fides est habenda, quoniam Politianum illum uirum doctissimum in singulis codicis lectionibus excutiendis minus saepe errasse consentaneum est quam Matritensis librarium indoctissimum in toto codice describendo.

Perperam igitur Klotzius egit, quod Politiani notas in Siluarum contextu constituendo non adhibuit et ab apparatu critico editionis suae exsulare iussit.

Verum praeter illas nonaginta unam lectiones A*, quas e Poggiano codice se prompsisse dilucidis uerbis Politianus testatur, multo plures uir doctus ille in exemplari Corsiniano adnotauit, quas ex eodem fonte se hausisse apertis uerbis non dicit. Quarum aliquot signo 'Do.' uel 'D.' notatae sunt, quo signo eas ex editione Domitiana deprom̄ptas esse Politianus testatur, minor numerus insignitus est nota '$\overset{\epsilon}{c}$', quam '$\overset{e}{c}$', non '$\overset{c}{c}$' esse apparet e Politiani nota ad IV 6, 43 adscripta: 'ego $\overset{\epsilon}{c}$', ubi 'ϵ' eodem ductu scripta est quo uocabuli 'ego' littera 'e'. Atque quid illa nota '$\overset{e}{c}$' significet, apparet e notis ad IV 2, 40 et IV 6, 43 adscriptis: 'ego $\overset{e}{c}$', h. e. 'ego conieci'. Igitur '$\overset{e}{c}$' est 'conieci'[1]). Hac nota '$\overset{e}{c}$' uel 'ego $\overset{e}{c}$' Politianum coniecturas suas indicasse consentaneum est. Quod mirum in modum Klotzius p. LII negauit, quia etiam lectiones cum editione Domitiana consentientes inueniantur ita notatae itemque lectiones, quae quin in libro Poggiano fuerint, dubium non sit. Itaque quid illud signum sibi uelit, Klotzio non liquet. Sed cum Politianus in editione principe lectionem inueniebat tam aperte corruptam, ut, quid uerum esset, nemo non statim conicere posset, uelut IV 3, 11 et 13, ubi 'quis' impressum in 'qui' corrigendum esse quiuis primo obtutu intellegit, ueri est simillimum Politianum ueram lectionem ex ipsius ingenio statim restituisse neque ab editione Domitiana auxilium petiuisse. Alterum autem Klotzii argumentum cur prorsus nihil ualeat, infra uidebimus. Longe autem plurimae lectiones a Politiano in exemplar Corsinianum relatae, quarum Baehrensius in editione sua quadringentas fere attulit, quarumque numerum minimum bis tantum esse H. Nohl 'Wochenschrift f. klass. Philologie' II (1885) col. 49 affirmat, nulla eiusmodi nota sunt insignitae. Exsistit igitur quae-

---

1) Ceterum quod Klotzius p. LII dixit Politianum etiam 'c^{o}' scripsisse et 'ego c^{o}', et nudum 'c^{o}' uix posse discerni a 'c^{ϵ}', errauit. Duobus enim illis locis modo laudatis solis Politianus scripsit 'ego $\overset{e}{c}$', nusquam alibi, et ubique scriptum est '$\overset{\epsilon}{c}$', numquam 'c^{o}'. littera 'ϵ' autem suprascripta ubique litterae 'o' est dissimillima ita ut numquam cum 'o' possit commutari.

stio, unde hae lectiones, de quarum origine nihil memoriae tradidit Politianus, fluxerint.

Qua de quaestione multum inter uiros doctos certatum est. Primus de hac re egit H. Nohl in dissertatione 'Quaestiones Statianae' anno 1871 Berolini emissa et ad eum peruenit finem, ut statueret omnia nullo insignita additamento Politianum in eodem uetusto codice inuenisse (p. 31). Quem secutus Baehrensius notis A (hoc enim signo notas insigniuit, de quarum origine Politianus nihil diserte tradidit) eodem modo quo notis A* ad Siluarum uerba constituenda usus est. At Goetzius in programmate Ienensi cui inscripsit 'De Statii Siluis emendandis' hieme 1884/85 publici iuris facto Baehrensii apparatu critico nisus suspicatur notas A non esse petitas e codice Poggiano, sed 'si aliorum non sint, adscriptas esse a Politiano tamquam commentariorum, quos pollicitus erat, fundamentum'. Quam sententiam et Nohlius 'Wochenschr. f. klass. Philol.' II 48 sqq. improbauit et V. Lundstroem in dissertatione 'Quaestiones Papinianae' Upsalae 1893. qui contendit notas A non aliunde fluxisse nisi e codice 'Sangallensi', h. e. Poggiano, et editione Domitiana, ipsius autem coniecturas Politianum non inscripsisse nisi signo addito. Eodem anno 1893 F. Skutschius in ann. Fleckeisen. uol. CXLVII p. 469 sqq. ad eam perductus est opinionem, ut putaret, 'notas A esse uastam congeriem lectionum e fontibus diuersis a Politiano haustarum, cum ex Sangallensi et Laurentiano tum ex ipsius Politiani ingenio' (p. 477). Similiter Vollmero, postquam exemplaris Corsiniani tabulas photographicas Heidelbergenses contulit, dubium non est (p. VII edit. a. 1898 Lips. typis Teubn. impr.), quin omnes notae A nullius sint momenti, nisi codicibus confirmentur. Klotzius autem, qui in dissertatione sua 'Curae Statianae' 1896 p. 67 Skutschii sententiam laudauit et ad eam confirmandam nonnulla exempla attulit, in editione quoniam recuperato ipso 'codice Poggiano' Politiani notas nullius pretii esse demonstrauisse sibi uisus est (cf. p. LXXIII) quaestionem illam, unde notae A manarint, accuratius persecutus non est. Satis enim habuit p. LVIII sqq. trecentos fere locos attulisse, quibus notae

A contra editionem principem (a) et Domitianam (c) cum Matritensi concinunt, quas lectiones fere omnes ex Poggii libro descriptas esse apparet. Praeterea Klotzius de notis A nihil fere egit nisi quod p. LXXI sq. duodeuiginti notas proposuit, quas Politiani coniecturas esse sibi persuasit. De ceteris autem huius quaestionis rebus se Skutschio in uniuersum assentiri p. LXVIII dicit.

Iam cum consideramus, quidnam uiri docti illi, qui de notis A inter se certarunt, effecerint, uidemus, quamuis multa de hac quaestione satis implicata scripta sint, nihilominus ad Siluarum uerba restituenda illos omnes fere prorsus nihil fructus attulisse. Ii enim, qui notas A omnes e Poggiano codice descriptas esse contenderunt, rectissime refutati sunt, qui uero notas A uastam esse congeriem lectionum, de quarum origine nihil constaret, statuerunt, hoc unum concedere coacti sunt in Politiani notis nullo signo notatis inesse lectiones, quae non aliunde nisi e codice manu scripto manare potuerint (cf. Skutsch, l. l. p. 470 sq., Klotz p. LIII). Sed quaenam notae A e Poggii codice sint depromptae, nemo adhuc uirorum doctorum explorare potuit.

Tantopere igitur cum quaestionem illam uiderem desperatam, certius iudicium mihi parare studui omnibus notis A, quantum editae erant a Baehrensio, Skutschio, Vollmero, cum Matritensis codicis lectionibus comparatis. Hac comparatione instituta inueni quadringentarum fere notarum A, quae editae erant, ducentas uiginti quinque fere cum Matritensi ad litteram consentire, in his octoginta uel in falsis lectionibus, centum et septuaginta autem a Matritensi discrepare. Has, quae a Matritensi recedunt, notas cum editione Domitiana contuli et earum maiorem partem, dico nonaginta fere, cum Domitii lectionibus prorsus congruentes inueni ita ut has lectiones ex editione Domitii a Politiano descriptas esse manifestum sit. Quam rem nemo uirorum doctorum, qui de notis A egerunt, satis accurate obseruauit, neque id sine detrimento. Namque de origine multarum lectionum a Politiano signo non addito

adscriptarum, quae, unde depromptae sint, adhuc in dubio remansit, hac ratione certam nanciscimur notitiam. Velut infelicissimae illae coniecturae, quas Politianus ad IV 8, 59 sqq. adscripsit quasque Politianum siue excogitasse siue aliunde adsciuisse Skutschius p. 475 putat: 'his' (u. 60) pro 'hos' et 'pulsate' (u. 72) pro 'pulsare', non Politiani sunt, sed Domitii; solum 'intrate' lectio a Politiano scripta apud Domitium non exstat, sed cum Domitii lectio 'intrare' cum sequente uerbo 'pulsate' non concordet, Politianus uitium typothetae, qualibus editio Domitiana non caret, subesse ratus in describendo correxisse uidetur. Tum uero quod Skutschius l. s. Politiani notam ad V 3, 181 adscriptam 'halis' ita explicauit, ut diceret Politianum Domitii lectionem 'alis' aspiratione male addita in exemplar suum transtulisse, egregie errauit ille uir doctus. Exstat enim eadem lectio 'halis', quam Politianus adscripsit, in Domitiana quoque editione. Verum quin Skutschius in Domitii editione quam adhibuit lectionem 'alis' inuenerit, non dubito. Neque enim eadem editione Domitiana Skutschius usus est quam Politianus contulit. Duae enim Siluarum editiones eodem anno MCCCCLXXV Romae a Domitio publici iuris factae sunt: *altera Statii omnia opera complectens*, primo loco Thebaidem cum commentario Placidi Lactantii, tum Achilleidem cum commentario Francisci Mataracii (Maturantii), denique Siluas cum commentario Domitii Calderini; emissa est *calendis* sextilibus anni MCCCCLXXV et *typographi nomine caret*. Quam 'charactere nitido' esse Orlandi 'Origine e progressi dell' arte impress. dall' anno 1457—1500' Bononiae 1722 p. 72 praedicat; eadem perrara esse in Statii editione Bipontina 1785 p. XV dicitur. Cuius editionis exemplum anno 1483 Venetiis typis exscriptum in uniuersitatis Lipsiensis bibliotheca asseruatur, quo uti mihi licuit. *Altera* autem Siluarum editio a Domitio curata *solum Siluas continet*, emissa est *idibus* sextilibus anni MCCCCLXXV, *typis expressa ab Arnoldo Pannartio*. Additae sunt notae 'in Sapphonem, Ouidii et Propertii loca obscuriora'. Hac altera editione uiri docti, qui adhuc de Po-

litiani notis egerunt, usi esse uidentur. Tituli enim quoscumque Klotzius p. LVIII sqq. ex editione Domitiana attulit, maiusculis litteris impressi sunt, quibus omnes titulos in editione Pannartiana expressos esse amicus quidam meus mecum communicauit, qui editionis typis Pannartii impressae exemplar Gottingense meum in usum inspexit; in ea autem Domitii editione, quae est sine typographi nomine, titulos omnes litteris minusculis impressos esse et ex exemplari anno 1483 diligentissime ut uidetur ex ea typis exscripto apparet et ex editionibus annis 1490 et 1494 Venetiis impressis[1]), quae ex eadem manauerunt. Praeterea autem editionis Pannartianae tituli a Klotzio allati his locis discrepant a titulis editionis nomine typographi carentis:

I 2 tit. VIOLANTHILLAE	Klotz., uiolātillae
II 2 tit. SVRRENTINVM	Klotz., Surentinum
III 1 tit. SVRRENTINVS	Klotz., Surentinus
III 2 tit. METLI	Klotz., Metii
IV 2 tit. EVCHARISTICON	Klotz., eucaristicon
IV 7 tit. MAX: IV.[2])	Klotz., Maximum Juniū
IV 8 tit. IVLIVM	Klotz., Julliū

Neque solum in titulis, uerum etiam in ipso uerborum contextu editio Pannartiana saepius recedit ab editione typographi nomine carente. Hos enim exscripsi locos quibus lectiones **c** a Klotzio allatae a lectionibus, quas in editione Domitiana typographi nomine non exstructa exstare ex trium illarum editionum Venetarum consensu apparet, differunt: I 2, 60 deprenso Kl., deprehenso, II praef. 31 consyderaremus Kl., cōsideraremus, III 5, 46 ilicitas Kl., iliacas, III 5, 54 reatae Kl., natae, IV 6, 35 arcus Kl., arctus, IV 6, 52 elee Kl., eleae, IV 7, 55 torani Kl., troiani, V 1, 60 babilonis Kl., babylonis, V 1, 224 omnes Kl., amnes, V 2, 81 iussat Kl., iuuat, V 2, 121 haut Kl., haud, V 5, 58 rependit Kl., reprēdit. Videmus igitur haud raro Domitii editionem a Pannartio expressam discrepare ab editione, in qua typographi nomen deest. At utra Domitii editione

1) etiam hae editiones in uniuersitatis Lipsiensis bibliotheca asseruantur.
2) sic etiam in exemplari Gottingensi legi ab amico comperi.

Politianus usus sit, uel ex V 3, 181 intelleximus, ubi 'halis' non aliunde prompsisse potest nisi ex ea Domitii editione, quae typographi nomine caret. Quod aliis argumentis confirmatur. V 2, 48 enim Skutschius miratur, quod Politianus lectionem Domitii 'nemeea' tamquam ipsius coniecturam attulerit addita nota 'cͨ'. At quoniam Domitii editio, quae sine typographi nomine est, 'nemea' exhibet, non 'nemeea', apparet Politianum hac Domitii editione, non ea, quam Skutschius adhibuit, inspecta ipsum lectionem 'nemeęa' excogitasse. Sed multo certiora argumenta praesto sunt. Tribus enim eorum, quos modo attuli, locis Politianus aperte, quas lectiones in editione Domitiana inuenisset, dixit: II praef. 31 Do. cōsideraremus, IV 6, 52 eleę.Do., V 5, 58 .Do. Reprēdit. Hae lectiones cum ita in ea Domitii editione exstent, a qua typographi nomen abest, in Pannartiana autem Domitii editione longe aliae inueniantur (consyderaremus, elee, rependit), manifestissimum est Politianum adhibuisse Domitii editionem typographi nomine carentem. Male igitur uiri docti in Politiani notis cum Domitii lectionibus conferendis adhuc egerunt, quod editione a Pannartio impressa (aut fortasse etiam exemplo ex altera editione parum diligenter exscripto) usi sunt. Vbi enim Domitii lectio, quam Politianus signo non addito e Domitiana editione prompsit, in Pannartiana editione alia est atque in altera, fieri non poterat, quin Politiani coniecturam esse putarent, quae tamen lectio e Domitii editione descripta est.

Illarum lectionum a Politiano nota non addita e Domitii editione depromptarum quamquam multae sunt sine dubio uerae, qua re quis ad eam opinionem perduci potest, ut illas in Poggii quoque codice Politianum inuenisse arbitretur (cf. Lundstroem p. 19), tamen sunt quas nihil nisi Domitii coniecturas esse appareat, uelut IV 3, 87 'putorem' pro 'pudorem', V 3, 36 'acclinis' pro 'adclinis'. Inde autem quod eiusmodi lectiones aperte falsas Politianus ex editione Domitiana in exemplar Corsinianum transtulit neglectis Poggiani codicis lectionibus uerissimis, concludamus necesse est non eodem tempore, quo ueteris codicis lectiones, illas

Domitii coniecturas in exemplar Corsinianum a Politiano relatas esse. Quid enim ueri est dissimilius quam Politianum uirum illum litteris eruditissimum, postquam in Poggii codicem incidit, quem unicum omnium Siluarum codicum fontem esse ipse in subscriptione dicit, in 'corrigendo' exemplari Corsiniano e Domitii editione lectiones falsas inscripsisse neglectis ueteris codicis lectionibus, quas ueras esse primo obtutu apparet?

Quae conclusio aliis argumentis egregie confirmatur. Earum enim lectionum, quas ex editione Domitiana se prompsisse Politianus signo 'Do.' uel 'D.' adscripto testatur, triginta quattuor cum Matritensi prorsus concordant. Quas hic propono: I 2, 128 Do Inda **P** (= *Politianus*), inda **M**, I 2, 236 .Do. in agmine **P**, in agmine **M**, I 3, 36 Do uena **P**, uena **M**, I 3, 24 Do. amnis **P**, amnis **M**, I 4, 58 Do. iuxta **P**, iuxta **M**, I 4, 74 .Do. Permeruit **P**, permeruit **M**, I 6, 46 .Do. quin **P**, quin **M**, II 1, 160 Do munera **P**, munera **M**, II 1, 211 .Do. terris **P**, terris **M**, II 2, 82 .Do. tuus **P**, tuus **M**, II 2, 90 Do monte **P**, monte **M**, II 4, 3 .Do. murmura **P**, murmura **M**, II 4, 15 Do nusquam **P**, nusquam **M**, II 6, 30 Do. cauentem **P**, cauentem **M**, II 6, 79 .D. uerenda **P**, uerenda **M**, III praef. 5 .Do. fideliter **P**, fide liter **M**, III 2, 101 .Do. Isi **P**, Isi **M**, III 2, 121 .Do. et in assÿrias **P**, et massirias **M**, III 4, 72 .Do. timet **P**, timet **M**, III 5, 44 c̊ .D. Heu! ubi **P**, heu ubi **M**, IV 2, 40 Do. Ipsum ipsum **P**, ipsum ipsum **M**, IV 3, 138 .Do. teperet **P**, teperet **M**, IV 5, 16 .D. lyeus **P**, Lyaeus **M**, IV 5, 57 uocibus et Do **P**, uocibus et **M**, IV 9, 50 me .D. **P**, me **M**, V 1, 20 .Do. tūc **P**, tunc **M**, V 2, 74 .D. tenēs **P**, tenens **M**, V 3, 92 .D. seno **P**, seno **M**, V 1, 254 do uenit **P**, uenit **M**, V 3, 168 .D. laris **P**, laris **M**, V 3, 273 .D. rettulit **P**, retulit **M**, V 3, 278 .Do. Si **P**, Si **M**, V 3, 290 D. Quę **P**, quae **M**, V 5, 12 .D. planctibus **P**, planctibus **M**. Addo V 1, 189, ubi ad principis editionis lectionem falsam 'De', quam Domitius quoque posuit, Politianus adscripsit 'c̊ Da', quam eandem lectionem Matritensis habet, et V 3, 24, ubi eodem modo Pol. scripsit 'c̊ tu', quod Matritensis quoque exhibet. Tantum igitur lectionum

numerum cum Politianus e uiri docti aequalis doctrina prompserit, paucas etiam ex ipsius ingenio, quas omnes, si tum, cum illas notas in exemplari Corsiniano adscripsit, Poggii codex ei praesto fuisset, quin in illo inuenturus fuerit dubium non est, manifestissime apparet Politianum tum, cum illas notas scripsit, Poggii codicem nondum repperisse[1]).

Cui rei multum lucis infertur Politiani ipsius epistula Kalendis Aprilibus anni MCCCCLXXXXIV ad Philippum Beroaldum data[2]), qua Politianus cum Beroaldo communicauit adnotationes suas quas ipse 'adulescens uiuente adhuc Domitio' (qui anno 1478 mortuus est) in marginibus domestici codicis adscripsisset. Quas cur adscripserit curque cum Beroaldo communicet, ipse in epistulae exordio haec dicit: 'Certiorem me per litteras iam diu multi fecerunt: venisse istuc ad vos quendam: qui nostras adnotationes venditet: in Statii siluulas: easque se iactet: ex nostris autographis descripsisse. Puto esse autem: non quas me praelegente: studiosi exceperunt: sed quas ego adulescens viuente adhuc Domitio: marginibus domestici codicis adscripseram: videlicet offensus iam tum: quod multa ille parum perspecte prodidisset: quae fere omnes tamen quasi caelitus demissa mirabantur. Quare visum est adnotationes istas qualescumque sint: his ad te litteris: quasi quibusdam characteribus insignire: ne vel aliena forte mihi tribuantur: vel propria subripiantur'. e. q. s. Illas adnotationes easdem esse quae in exemplari Corsiniano praesto sunt, omnes quantum uideo uiri docti adhuc crediderunt. cf. Otto Mueller 'Quaestiones Statianae' Berolini 1861 p. 4 adn. 2, Skutsch, l. l. p. 481/82. Idem nuperrime Vollmerum Klotzio persuasisse (cf. Klotz. p. LIV, LXX) magnopere miror.

1) Idem quod Skutschius non conclusit, magnopere miror. Attulit enim ille p. 472/3 quinque lectiones nota 'Do.' uel 'D' insignitas, quas in Poggii codice exstitisse e Matritensis testimonio constat, atque adnotauit (n. 9): 'eiusmodi multo plura afferre poteram, ubi Politianus non testatur nisi ex Domitii editione, quod quin Sangallensis habuerit dubitari nequit'. Quid autem huic rei faciat, ignorat uir doctus.

2) Politiani Opera, in aedib. Ascensianis 1512, Epist. VI, fol. XXXV sqq.

Inter adnotationes enim illas Politianus plus quadraginta locos[1]) enumerat, quos in marginibus domestici codicis aliter atque Domitius explicauerit: I praef. 12, ib. 12, I 1, 7, I 1, 28, I 1, 100, I 1, 95, I 1, 104, I 2, 6, I 2, 112, I 2, 228, I 2, 216, I 3, 6, I 3, 7, I 3, 31, I 3, 46, ib. 46, I 3, 100, I 4, 93, I 5, 4, I 5, 41, I 5, 49, I 6, II 2, 121 sqq., II 3, 47, II 4, 30, II 5, 27 sq., II 7, 50, II 7, 58, II 7, 59, II 7, 61, II 7, 62, III 1, 44/45, III 1, 151, III 1, 153, III 2, 40, III 4, 41, V 1, 58, V 1, 83, V 3, 87, V 3, 93, V 3, 273, V 4, 8. Accedit locus uitae Statii a Domitio conscriptae et Siluis adiunctae, ubi Statius a Iuuenale circulator taxari dicitur, id quod se non credere Politianus dicit. Praeterea Politianus in epistula plus quinquaginta locos enumerat, quibus in adnotationibus Domitii lectiones reiecerit aliasque proposuerit: I 1, 100, I 1, 103, I 1, 107, I 2, 144, I 2, 135, I 3, 70, I 3, 74, I 3, 84, I 4, 25, I 4, 62, I 4, 93, I 5, 4, I 5, 15, I 5, 40, I 5, 41, I 6, 66, II 1, 64, II 1, 72, II 1, 88, II 2, 46, II 4, 14, II 7, 14, III praef. 10, III 1, 160, III 3, 32, III 3, 76, III 4, 70, III 4, 81, III 5, 22, IV 3, 59, IV 3, 20, IV 3, 81, IV 5, 39, IV 5, 48, IV 6, 43, IV 6, 39, IV 6, 52, IV 7, 55, IV 9, 40, IV 9, 47, V 1, 33, V 1, 92, V 1, 188, V 1, 189, V 2, 48, V 2, 131, V 2, 149, V 3, 14, V 3, 219, V 5, 8, V 5, 46, V 5, 68, V 5, 84. Quas adnotationes a Politiano in marginibus domestici codicis adscriptas non esse easdem quae in exemplari Corsiniano sunt, manifesto inde apparet, quod illae plus quadraginta locorum explicationes in Corsiniano libro non inueniuntur a Politiano adscriptae. Nonnullis quidem locis adnotati sunt explicandi causa scriptorum ueterum loci, uelut I praef. 12, I 1, 103/4, I 2, 6, quibus extremis locis eidem auctores afferuntur quos Politianus in epistula sua affert, sed scripti sunt alia manu, non a Politiano. Longe plurimis autem locis, quos in domestico codice se explicauisse Politianus Beroaldo scripsit, ne alia quidem manu explicationes additae sunt.

Illis autem explicationibus cum Politianum ea, quae Domi-

1) quorum numeros ideo affero, quod Politianus, ut tum moris erat, eos non indicauit; quo factum est, ut illi loci in Politiani epistula difficillimi sint ad inueniendum. hac difficultate uiri docti deterriti esse uidentur, ne paulo diligentius hanc epistulam legerent.

tius in editionis suae commentario scripserat, impugnasse Domitii commentarium conferens inuenerim, suspicio mihi orta est illas notas in Domitianae editionis exemplari Politianum adscripsisse. Hoc, quod suspicatus sum, aliis argumentis certum fit. Namque de II 7, 14 Politianus Beroaldo scripsit: 'In Lucani Genethliaco duos ita versiculos corruptos integramus: etsi qua patet: aut diem recepit: sertis mollibus expleatur vmbra'. Qui uersus cum in editione principe easdem habeant lectiones, quas Politianus se restituisse dicit, in Domitii autem editione pro uerbis 'patet aut' typis expressum legatur 'paterā', apparet Politianum illa uerba se 'integrare' dicere non potuisse, nisi eam correxisset editionem, in qua sola uerborum contextus corruptus erat, i. e. Domitianam. Deinde de III 1, 160 Politianus haec in epistula scripsit: "Verbum quoque 'degenerauit' in suum locum restituimus: in quem scilicet illud subierat 'dedignatur'." Domitiana editio cum exhibeat 'dedignatur', editio princeps autem 'degenerabit', quem ad locum Politianus in exemplari Corsiniano nihil adscripsit, apparet notam illam, cuius in epistula mentionem facit, Politianum in editionis Domitianae exemplari adnotasse. Idem ualet ad I 1, 100, I 5, 40, III 5, 22, quibus locis se Domitii lectiones reiecisse aliasque restituisse dicit; cum enim lectiones, quas se restituisse testatur, eaedem in editione principe legantur typis expressae, Politianus illas se restituisse dicere non potuit, nisi notas, de quibus in epistula uerba facit, non in editionem principem, sed in editionem Domitianam rettulisset. Ceterum ne his quidem locis, excepto I 5, 40, in exemplari Corsiniano quicquam a Politiano adscriptum est. Praeterea aliis quoque locis, quibus Domitii lectione reiecta aliam se proposuisse testatur, in Corsiniano libro Politianus notam non adscripsit: I 4, 25, I 4, 62, I 6, 66, II 4, 14, IV 5, 48, V 2, 131. Ab altera autem parte numerus adnotationum 'marginibus domestici codicis' adscriptarum, quas fere omnes Beroaldo se scripsisse Politianus sub epistulae finem dicit uerbis 'Fere autem sunt hactenus: quae notauimus adulescentes: in libri nostri margine', permulto

minor est quam notarum Corsinianarum. Itaque apertum est adnotationes, quas Politianus anno MCCCCLXXXXIV e marginibus domestici codicis cum Beroaldo communicauit, non easdem esse, quae in libro Corsiniano sunt, sed in Domitianae editionis exemplari aliquo adscriptas fuisse.

Ceteroquin in adnotationibus illis scribendis Politianus longe aliud consilium secutus est atque in notis in Corsiniano exemplari adscribendis. Illas enim cum in 'domesticum codicem' intulit, id se egisse testatur, ut Domitii errores, quos ille et in restituendis et in explicandis Siluarum uerbis commisisset, impugnaret adnotationibus satis uerbosis. Scripsit enim Beroaldo: 'Sed vides vt notaui locos: nam explicaui. Sane quoniam commentarios non faciebam: sed epistulam: quae meo quasi pecori notas inureret.' In Corsiniano autem libro Statii uerborum explicandorum causa Politianus prorsus nihil adnotauit. Atque maioris etiam momenti est, quod de collatione libri Poggiani, quam unicam suam operam in notis in editione principe adscribendis fuisse ipse subscriptione exemplaris Corsiniani testatur quamque ad Siluarum uerba constituenda summi momenti esse ibidem praedicat, in epistula ad Beroaldum data ne unum quidem facit uerbum.

Atque illum Poggii codicem Politianum tum, cum adnotationes in marginibus domestici codicis adscripsit, omnino nondum repperisse dilucidissime inde apparet, quod in epistula coniecturam a Domitio I 3, 84 factam 'Laciniae' eam ob causam improbat, quod sit 'contra exemplarium fidem' et quod ad IV 3, 81 Beroaldo dicit 'Sic equidem in exemplaribus inuenio'. Quin etiam ex his extremis uerbis 'in exemplaribus inuenio' elucet ne tum quidem, cum Beroaldo illam epistulam scripsit, Politianum iam incidisse in Poggii codicem illum omnium ceterorum codicum fontem. Quod et inde apparet, quod Politianus, si tum Poggii codicem iam contulisset, in Domitii lectionibus impugnandis certe lectiones illas, quas ipse posuisset, interim unico illo codice reperto magnam in partem confirmatas esse aduersus Beroaldum

gloriatus esset. Vnde manifestum est Poggii codicem post illam demum epistulam Beroaldo scriptam, h. e. post Kalendas Apriles anni MCCCCLXXXXIV, quo anno Politianus mortuus est (a. d. VIII. Kal. Octobr.), a Politiano repertum esse. Itaque extremis sex uitae suae mensibus anno 1494 Politianus collationem libri Poggiani in exemplar Corsinianum rettulit, id quod omnes uiros doctos adhuc fugit, cum Politiani epistulam non satis diligenter legerint (cf. Baehrens. p. V, Klotz. p. LXIX sq.).

Qua neglegentia quantopere a uero aberrari adhuc potuerit, intellegimus e Klotzii egregio isto errore, qui p. LVIII in notarum A* numerum recepit etiam id quod de IV 9, 47 Politianus Beroaldo scripsit: 'Versiculus quoque ille sic domi nostrae nil mutas: sed idem mihi rependis' (non 'remittas' id quod Klotzius perperam posuit). Atque adnotat Klotzius 'vel hinc cognoscitur Politianum non omnia quae discrepabant inter a et A enotauisse'. Putat igitur Klotzius Politiani uerba 'domi nostrae' spectare ad codicem Poggii. Verum quid locutio 'domi nostrae' apud Politianum significet, ex his illius epistulae locis apparet: 'Nec concussum vulnere torpens (III 4, 70): ipsi legimus: immo corpus: sicuti crinis apud nos: qui est apud illum vertex' (III 4, 81), et 'Multa in Epicedio quoque patris (V 3): aliter apud nos: vt vatem: et nil dulce sonantem (u. 14): vt Phrygius silex (u. 87): qui mihi Niobam significat: non Hecubam: vt quod mensis (u. 93) vocabulum putat ipse: nos participium'. Ex his apparet uerba 'domi nostrae' significare adnotationes a Politiano marginibus domestici codicis adscriptas, non librum manu scriptum. Ceterum quae Skutschius p. 481/82 de Politiani epistula dixit, ea eadem neglegentia laborant.

Quoniam igitur de hac Politiani epistula uiros doctos magnis erroribus implicatos fuisse demonstraui et Politianum ultimis sex uitae suae mensibus codicis Poggiani lectiones in exemplari Corsiniano adnotasse, dilucide uidemus, quam facile id, quod supra e certis indiciis statui, fieri potuerit, ut Politianus antequam libri Poggiani collationem in exemplari Corsiniano enotaret, Domitii lectiones et ipsius coniecturas

in eundem librum transcriberet. Atque cum praeter illas notas ex quibus hoc conclusimus editionis Domitianae uel coniecturae Politianeae signo exornatas magnum lectionum A numerum in exemplari Corsiniano exstare uiderimus, quae ipsae quoque non aliunde nisi e Domitii editione uel e Politiani ingenio profectae esse possunt neque ullo eiusmodi signo sunt notatae, has quoque notas A non una cum Poggiani codicis collatione, sed antea a Politiano inscriptas esse concludere licet. Quibus de causis cum mihi spes esset orta, siquis bonis instructus oculis Politiani notas denuo collaturus esset, eum fortasse notas ante collatum Poggii codicem inscriptas ab ipsa libri Poggiani collatione oculis discernere posse, Curtius Wachsmuthius qua est eximia benignitate effecit, ut Zangemeisteri liberalitate summa libri Corsiniani tabulae photographicae Heidelbergenses Lipsiam in usum meum transmitterentur.

Qua re cum tabulas illas pretiosas conferendi occasio mihi data esset, spe me non fuisse deceptum breui tempore intellexi. Omnes enim illae notae quae, quamquam cum Matritensi ad litteram congruunt, nihilominus signo 'Do' uel '$\overset{e}{c}$' insignitae sunt, longe alio atramento scriptae sunt atque notae A*. Nam atramentum, quo notas A* Politianus in exemplar Corsinianum rettulit, satis singularis naturae est. Non tegit enim chartam (quod ex propria atramenti natura fieri solere omnes scimus), sed prorsus in illam influxit, ita quidem, ut chartae materies, ubi notae A* scriptae exstant, atramento non sit abscondita, sed tincta, eamque ob causam ipsa litterarum ductus a Politiano scriptos exhibeat. Quo factum est, ut notarum A* ductus diffluxerint et tantopere sint diffusi, ut, praesertim cum atramentum illud satis pallidum sit, interdum difficillime dinoscantur (uelut I 2, 84, III 3, 18). Eodem autem atramento quo notae A* multae etiam lectiones A scriptae sunt. Illarum autem

quas supra primo loco attuli notarum atramentum ea est natura, ut numquam influxerit, sed semper supra chartam remanserit eamque tegat. Atque quamquam admodum est uarium, modo piceum, modo flauum, modo non minus pallidum quam notarum A*, tamen ab harum atramento quod ubique idem est, fere semper distincte eo differt, quod ductuum lineae acute sunt terminatae, notarum A* autem ductus numquam suis limitibus continentur, sed semper extra eos diffluxerunt. Vbi autem notarum illarum atramentum paululum diffluxit, id quod paucis tantum locis factum est, nihilominus hic quoque a notis A* iisque lectionibus, quae eodem atramento sunt exaratae, dilucide discernitur, quod ubique non totum influxit, sed omnibus in lineis inque eis mediis maiore ex parte supra chartam remansit, notarum A* autem atramentum integrum influxit, ita ut fere ubique ne minimum quidem atramenti uestigium supra remanserit.

Eodem atramento non diffuso quo notae illae quas, cum signo 'Do' uel 'cͤ' insignitae sint, quamquam cum Matritensi concinunt, priore aliquo tempore quam lectiones codicis Poggiani inscriptas esse nostro iure conclusimus, multae aliae notae a Politiano additae sunt. Quingentis enim sedecim locis illo atramento non diffuso notas Politianus adscripsit.

Quarum notarum centum triginta tres nota 'D.' uel 'Do.' insignitae sunt, quadraginta sex nota 'cͤ' uel 'ego cͤ' (in his et Domitii lectio et Politiani coniectura adscripta est nouem locis), duae notae (II 1, 105, IV 1, 35) signo 'al' ornatae sunt, una (V 3, 155) signo 'ꝗdū'. Centum igitur septuaginta tribus locis Politianus lectiones adscripsit atramento non diffuso, quas unde prompserit, aperte testatur. Ex quibus triginta septem cum Matritensi ad litteras concinunt: triginta quattuor illae notae signo 'D.' uel 'Do.' ornatae (cf. p. 46), duae nota 'cͤ' insignitae, una (II 1, 105) signo 'al' instructa. Quas ante libri Poggiani collationem esse inscriptas re ipsa probari iam supra (p. 46/47) uidimus.

Reliquae autem lectiones signo originis instructae a Matritensi recedunt.

Earum autem notarum, quae quam originem habeant, Politianus non adscripsit, ducentae fere quadraginta cum Matritensi congruunt, centum duae a Matritensi discrepant. At quomodo a Matritensi recedant, ut ipse uideas, e duobus primis carminibus has notas propono atque addo Matritensis lectiones uncis seclusas: I 1, 6 Effĭ$\overset{x}{g}$ere $\overset{p}{a}$[1]) (Effigere), I 2, 11 du$\overset{c}{x}$it $\overset{p}{a}$ (duxit), I 2, 82 attonit$\overset{us}{o}$ $\overset{p}{a}$ (attonito), I 2, 100 ^{h}aut^{d} $\overset{p}{a}$ (aut, *quod unice uerum est*), I 2, 196 lumina a, u *in* i *mut.* **P** (lumina), I 2, 252 philites a, *alter.* i *mut. in* e **P** (philytes), I 2, 267 l$\overset{r}{e}$gant $\overset{p}{a}$ (legant). Has omnes notas meras coniecturas esse primo obtutu apparet; atque cum eas specimen proposuerim, omnes illas centum et duas notas a Matritensi discrepantes coniectura esse ortas apparet. Quas si cum editione Domitiana comparauerimus, octoginta duas cum Domitii lectionibus congruentes uidebimus, multas ita, ut, si omnes e Domitii editione descriptas esse putabimus, non multum a uero aberrare possimus. cf. I 1, 6, I 2, 11, I 2, 82, I 2, 196, I 2, 267, quas modo proposui. Reliquas autem illas notas a Matritensi recedentes, uiginti, ipsius Politiani coniecturas esse ueri est simillimum. Coniecturas enim eas certe esse ipse concedes, cum paucas tibi proposuero additis Matritensis lectionibus: I 5, 38 lu$\overset{iu}{c}$entibus $\overset{p}{a}$ (lucentibus) (cf. Sk. p. 474), II 1,168 $\overset{me}{ne}$ hilaris $\overset{p}{a}$ (— ne ille hilaris), II 2, 34 bacch$\overset{ia}{e}$idos $\overset{p}{a}$ (baccheidos).

Quae cum ita se habere demonstratum sit, reliquas quoque lectiones signo non notatas, ducentas fere quadraginta, quae cum Matritensis lectionibus congruunt, aut Domitii aut Politiani coniecturae deberi per se ueri est simillimum, praesertim cum plus tertiam notarum atramento non diffuso scriptarum partem Domitii aut ipsius coniecturas esse Politianum ipsum testari supra uiderimus (p. 53). Itaque illas quoque cum Domitiana editione contuli et plus ducentas cum Domitii lecti-

---

1) hoc signo adnotare lubet lectiones editionis principis (a), quibus Politianus (^{p}) quaedam suprascripsit.

onibus congruentes inueni, triginta quinque autem fere a Domitianis lectionibus discrepantes. Illas igitur plus ducentas lectiones, quamquam cum Matritensi concinunt, e Domitii editione descriptas esse ex iis, quae supra uidimus, ueri est simillimum, quamquam non nego haud paucis fortasse locis Politianum editione Domitiana non inspecta ipsum lectionem ueram coniectura restituisse; triginta autem quinque fere lectiones ab editione Domitiana recedentes eadem ratione qua notas illas uiginti et a Matritensi et a Domitii lectionibus discrepantes a Politiano ipso coniectura effectas esse admodum probabile est, praesertim cum lenissimis mutationibus factae sint. Quam ad rem demonstrandam notas illas quae in quinti libri altero carmine insunt propono: V 2, 39 ex ~~h~~orto a^{p} V 2, 110 te^{im}nebat a^{p}, V 2, 165 Om^{i}nia a^{p} (i *delere* **P** *oblitus est*).

Itaque non solum eae notae atramento non diffuso scriptae, quae Politiano ipso teste e Domitii uel Politiani ingenio oriundae sunt, sed eae quoque, quibus signum originis Politianus non addidit, ex eisdem duobus fontibus manarunt, atque ita, ut multo maior pars, ducentae nonaginta fere, Domitii coniecturae esse uideantur, reliquae quinquaginta fere quinque Politiani. Atque ne mireris, quod illis notis Politianus, unde prompserit, adscripsit, his non adnotauit, paucas notas, quas in primi libri carmen primum Politianus atramento non diffuso intulit, affero: I 1, 2 geminata a, in *mut. in* m **P**, ib. 6 Effi^{x}gere a^{p}, ib. 20 tardo rapto a, *in marg. d. adscr.* ^{e}c tantus rapto **P**, ib. 43 lacus a, c *mut. in* t **P**, ib. 107 Lętius a, i *del.* **P**, ib. 107 iura a, *in marg. d. scr.* tura |D| **P**. Videmus igitur Politianum, ubi lectio, quam editionis principis lectioni adscripsit, ab editione grauius recedit, indicasse, unde prompserit, leniores autem mutationes uerbo non addito in exemplar intulisse. Quae res uel eo admodum elucet, quod omnes fere lectiones signo notatae in marginibus sunt adscriptae, alias autem mutationes fere omnes Politianus ita intulit, ut litteras, quas pro litteris impressis legi nolebat, aut suprascriberet aut in ipsas litteras impressas inferret. Quo dilucidius fit non solum ducentas septuaginta

quinque fere illas lectiones, quas partim e Domitii, partim e Politiani ingenio ortas esse aut ex ipsius Politiani testimonio constat aut ex ipsarum lectionum natura apparet, sed reliquas quoque notas atramento non diluto scriptas, ducentas quadraginta fere, eandem habere originem, h. e. partim Domitii, partim Politiani esse coniecturas.

Itaque cum summam facimus, notarum a Politiano atramento non diffuso scriptarum plus quadringentae e Domitii editione uidentur esse descriptae, reliquas autem plus centum lectiones Politiani ipsius esse coniecturas esse ueri simile est. Certe uero ex iis, quae enarraui, manifestum est magnopere esse cauendum, ne notas atramento illo longe alio atque notas A* scriptas pro libri manu scripti lectionibus habeamus. Quoniam enim tantum earum numerum ante codicis Poggiani collationem in exemplari adscriptum esse Politianus ipse quasi testatur, multas alias quoque ante codicis Poggiani lectiones inscriptas esse apparet. Velut ducentae quadraginta fere notae illae cum Matritensi codice prorsus congruentes alio atramento atque Poggiani libri lectiones non essent inscriptae, nisi ante codicem Poggii repertum eas Politianus intulisset. Nam postquam in illum omnium Siluarum codicum unicum fontem incidit Politianus, ex eo illas notas certe eodem atramento quo notas A* inscripsisset. Atque notarum a Matritensi discrepantium cum aliquot sint coniecturae aperte falsae (ut I 2, 11 du$\overset{c}{x}$it $\overset{p}{a}$, ib. 100 ^{h}aut^{d} $\overset{p}{a}$, ib. 267 l$\overset{r}{e}$gant $\overset{p}{a}$, quamquam non nego multo plures correcturas ueras esse), apparet ne has quidem Politianum atramento non diffuso inscripturum fuisse, si iam unicum illud fundamentum ad Siluarum uerba restituenda ei praesto fuisset. Praeterea uero in notis atramento non diffuso scriptis insunt, quae ipsae quasi se ante Poggiani codicis lectiones inscriptas esse testantur: I 2, 42 enim supra uocabuli 'frequentes' primas litteras Politianus atramento prope piceo scripsit 'Do -se-', supra ultimam autem 'e' litteram eodem quo notas A* atramento scripsit 'ı', ut uera lectio 'sequentis' euadat. I 3, 45 uerbo impresso 'unctis' atramento piceo in initio addidit 'i' suprascriptam, sed ueram lectionem

'iunctus' restituit notarum A* atramento. III 2, 111 in uocabulo 'teramnei' litterae 'm' ultimam hastam mutauit in 'p' atramento satis fusco, notarum A* autem atramento inter 't' et 'e' suprascripsit 'h', duas reliquas litterae 'm' hastas deleuit, infra ultimam 'e' posuit ,. III 3, 47 uerbi 'simulantur' litteras 'si' Politianus atramento non diffuso mutauit in 'fa', sed 'n' deleuit notarum A* atramento. IV praef. 40 uerbo 'admittit' atramento fusco adscripsit per compendium 'ur', quod notarum A* atramento deleuit. Quibus locis quae atramento non diffuso exarauit Politianus, ante ea, quae notarum A* atramento adnotauit, inscripta esse luce est clarius.

Quibus de causis si notas atramento non diffuso scriptas fere omnes ante Poggiani libri collationem adscriptas esse putamus, a uero haud multum aberrare possumus. Simul autem hoc eo magis apparet scriptae memoriae illas notas nequaquam deberi.

Neque uero silentio premam nonnullas notas atramento non diffuso scriptas etiam post libri Poggiani collationem adscriptas esse: I 2, 98 enim Politianus postquam ad 'Sic' in margine sinistro adnotauit 'Do hic' atramento illo pallido et diffuso, in sinistro huius notae latere scripsit atramento fusco 'c̊ sed'. II 2, 134 uocabulum impressum 'chias' deleuit et notarum A* atramento suprascripsit 'duas', supra quam notam addidit signum " atramento fusco, quo margini dextro adscripsit 'ẗüas' (Do). II 6, 3 ad 'accendere' in marg. dextro scripsit 'aaedere ı antiq pog.' et infra hanc notam A* atramento non minus pallido, sed non diffuso addidit 'c̊ abscedere'. IV 6, 57 iuxta uocabulum typis expressum 'setis', quod deleuit, a dextra Politianus notarum A* atramento scripsit 'celis', cui notae a dextro latere addidit: '[.Do.] adhuc seuę meminit manus alt |', quae uerba fusco atramento scripsit. V 3, 99 ad 'oroos — leones' notarum A* atramento in margine dextro scripsit '[.Do.] heroos tenores', cui notae atramento non diffuso adiunxit 'vł senones [.D.]'. Atque cum hae notae, quas post Poggiani libri collationem inscriptas esse manifestum est, omnes signo 'c̊' uel 'Do.' instructae sint, ueri est simillimum post codicis uetusti lectiones Politianum

notas non adnotasse, quas, unde promptae sint, ille non indicauerit. Quod eo certius fit, quod notas illas, quae signo originis non instructae atramento non diffuso adnotatae sunt, Politianus illo atramento certe omnino non intulisset, si tum, cum adnotauit, iam in Poggii codicem incidisset.

Sed ut finem faciam de notarum atramento non diffuso scriptarum natura uerba faciendi, hoc quidem ex iis quae protuli manifestissimum est notas illas alio atque notas A* atramento scriptas e tradita memoria nequaquam manauisse. Itaque has quidem signo *α* insignire mihi placuit, contra signo A eas omnes lectiones, quae eodem atramento atque notae A* a Politano adscriptae sunt.

Quod discrimen cum nemo adhuc eorum, qui exemplar Corsinianum contulerunt, uiderit, uiri docti qui de Politiani notis egerunt quin omnes magnis erroribus implicarentur, fieri non poterat. Velut quascumque Skutschius, qui accuratissimam de notis Politiani commentationem scripsit, p. 474/5 attulit notas, quibus demonstrasse sibi uidetur Politianum codicis Poggiani lectiones cum suis 'aliorumque coniecturis commiscuisse (I 5, 38 liuentibus, IV 4, 98 humeri magno, IV 8, 59 sqq. intrate, his, pulsate, V 3, 181 halis), eae omnes, exc. V 1, 181 'mestos', quam lectionem coniectura ortam esse uirum doctum illum falso arbitrari infra (p. 91) uidebimus, a notis A secernendae sunt, quia atramento non diffuso sunt scriptae. Tum uero Baehrensius, qui notis omnibus a Politiano in exemplar Corsinianum relatis non minorem tribuit fidem quam notis A*, quam malo ad Siluarum uerba restituenda fundamento usus sit, inde apparet, quod e. gr. omnes notae „A“, quas ad I 5 attulit: 4 tegeęe sonore, 15 aduertite, 18 amantis, 38 liuentibus, atis, 39 Quęque, 41 distinctum, limina, ex numero notarum *α* sunt, duodeuiginti autem notarum A, quas Politianus adscripsit, ne unam quidem attulit. Quo errore perductus in hoc uno carmine tribus locis aut Politiani aut Domitii coniecturam perperam in uerborum contextum recepit: 18 'amantis' pro 'amantes', 38 'liuentibus' pro 'lucentibus', 39 'Quaeque', ceteris autem

locis uiris doctis falsam de eis, quae Politianus e codice Poggii memoriae tradidit, opinionem iniecit. Etenim cum Baehrensio quidem teste in notis A lectiones speciosissimae insint ut 'tegeęe sonore' (u. 4), Matritensis autem eiusque apographa monstrum istud 'tegees honore' praebeant, Goetzius suo iure p. VII suspicionem eo augeri dicit, quod notae A castigatissimam prae se ferant speciem.

Quod carmen I 5 cum ipsis exemplaris Corsiniani tabulis euolutis perlegimus, fieri non potest, quin magnopere miremur, quod ii qui adhuc contulerunt, discrimen, quod inter lectiones notarum A* atramento diffuso scriptas ceterasque intercedit, non animaduerterunt. Omnes enim quae in hoc carmine exstant notae *α* atramento suo non diffuso et plerumque fusco magnopere differunt a ceteris notis atramento pallido diffusoque scriptis; imprimis quod ad 'tegees honore' adscripsit Politianus, uehementer differt a titulo 'Balneum claudii Etrusci' atramento diffuso prope scripto.

Atque ut nonnullos etiam locos proferam, quibus discrimen, quod inter utrumque atramentum intercedit, admodum est conspicuum, notas illas triginta sex signo 'Do.' uel 'c̊' instructas, quas, quia cum Matritensi ad litteras concordant, priore tempore quam codicis Poggiani lectiones inscriptas esse uidimus (cf. p. 46 sq.), cum iis, quae atramento diffuso prope scripta sunt, conferendas commendo. Quarum notarum primas saltem proposuerim, priore loco afferens notas atramento non diffuso scriptas, tum lectiones notarum A* atramento exaratas, quae atramento a notis illis *α* magnopere differunt, uncis seclusas:

I 2, 128 Do Inda ('huic' supra uocab. impr. 'hinc' scr. (ib.))
I 2, 236 .Do. in agmine ('u' supra 'ueniant' scr. (u. 233), 'xt' supra 'missa' scr. (u. 235), 'ct' supra 'uitatum' scr. (u. 238))
I 3, 36 Do uena ('ne' supra 'que', 'r' supra 'mauors' scr. (u. 35))
I 3, 24 Do. amnis ('amnis' supra 'armis' scr. (ib.), Do. fluuiū ne obstare (u. 26))
I 4, 58 Do. iuxta ('us' supra 'decet', 'ul' supra 'cacumina' scr. (ib.), Do. pridem (u. 60))
I 6, 46 .Do. quin ('uescitur' supra 'nascimur' (u. 43))

II 1, 160 Do munera ('in' supra 'udi' (ibid.), 'a' supra 'trabes' (u. 161))
II 1, 211 .Do. terris (init ı 1° poggii, 'timet' supra 'dabit' (u. 218))
II 2, 82 .Do. tuus (ı ātiq° limau (ibid.))
II 2, 90 Do monte (,infra 'cesum' (ibid.), 'r' supra 'aera' (u. 89))
II 4, 3 .Do. murmura (Psitacus eiusdē (tit.))
II 4, 15 Do.s. ('ci pog' supra 'conuiuia' (ibid.))

Quibus locis omnibus atramentum non diffusum quamquam admodum uariat et I 3, 24, II 2, 82 non minus pallidum est quam notarum A* atramentum, tamen ab atramento diffuso ubique tantopere differt, ut hoc discrimen statim a quouis animaduertatur. Neque minus insignis res est in reliquis illarum triginta sex notarum, quas omnes afferre longum est.

Sed duos etiam locos silentio praeterire nequeo, quibus utriusque atramenti discrimen aliquanto magis est conspicuum quam in his quas modo attuli notis: I 1, 107 enim atramentum, quo uocabuli 'Lętius' 'i' deleuit Politianus et ad 'iura' in margine dextro adscripsit: 'tu^{ll}ra', a litteris 'ui' supra 'hoc' scriptis et a carminis sequentis titulo 'Epithalamium in Stellam et violētillā', notis atramento illo pallido diffusoque scriptis, tam uehementer differt, ut, quomodo uiros doctos hoc discrimen effugere potuerit, prorsus non comprehendam. Denique uero in libri Corsiniani p. 137 (I 4, 63—96) notae 'nec', 'c̄^{c} colus' (u. 64), '.Do. putat legēdū laudarit' (u. 65), 'c̄^{c} cressam' (u. 66) atramento fusco scriptae adeo differunt a uerbis 'ī 1° pog. phębeam' (u. 66) et a 'n' supra 'te', 'l' supra 'fluminis' scr. (u. 64), 'sine' supra 'dextrorsum' (u. 66), 'at' supra 'animamque' scr. (u. 67), et notae, quibus Pol. 'permissaque' mutauit in 'praemissaque' (u. 68), 'gaudent' in 'gaudet' (u. 70), 'quoque' in 'quaque' (u. 71), 'Permetuit' in 'Permeruit', addito signo 'Do.' (u. 74), 'per' in 'perque' (u. 77) atramento nequaquam diffuso scriptae tam insignite cum a ceteris notis tum a tribus illis notis A* (uu. 86, 88, 90) differunt, ut has notas non eodem tempore scriptas esse nemo primo oculorum obtutu non uideat. Verum quid affero exempla? Omnibus enim fere locis, quibus notae

atramento non diffuso scriptae exstant, notae atramento illo pallido diffusoque scriptae tam distincte ab illis differunt, ut mihi persuaserim Politianum, cum ad codicis Poggiani lectiones inscribendas atramentum illud satis mirum adhiberet, pro certo habuisse numquam quemquam mortalium fore, qui uetusti codicis collationem tam conspicue insignitam cum coniecturis, quas antea longe alio atramento inscripserat, commisceret.

Ceterum, quam usitata Politiano fuerit eiusmodi externa notarum distinctio, ex duorum Catonis Varronisque codicum collatione in exemplar Parisinum relata uidemus. Hoc enim in exemplar Politianus postquam codicis uetustissimi Marciani lectiones ab editione discrepantes atramento transtulit, aliquot mensibus post ex altero libro manu scripto pauca, quae maxime memorabilia uidebantur, adscripsit, quae ab illis quae antea atramento usus e codice Marciano adnotauerat, rubro colore distinxit (cf. Catonis et Varronis R. R. edd. H. Keil I 1884 p. VI). Eadem ratione Politianus primum in exemplar Corsinianum aliquot coniecturas rettulit atramento, quale in omnium usu erat; deinde e Poggii codice, in quem postea inciderat, lectiones in idem editionis principis exemplar referre constituit atque a notis antea adscriptis libri Poggiani lectiones distincturus cum totam codicis collationem rubrica scribere nollet, ad eius lectiones adscribendas atramentum illud satis insigne optimo euentu adhibuit.

Atque egregium aliquod eiusmodi distinctionis a Politiano factae exemplum in ipso exemplari Corsiniano exstat. Lectiones enim, quas ad II 7 ex codice Laurentiano plut. 29, 32 inscripsit, et a notis *α* et a lectionibus notarum A* atramento scriptis conspicue differunt et atramento, quod medium fere locum obtinet inter illud plerumque fuscum neque diffusum atramentum et hoc diffusum pallidumque, et eo, quod litterarum ductus, quibus codicis Laurentiani collatio scripta est, multo tenuiores sunt quam ceterarum notarum. Quae insignia tam conspicua esse ipse Politianus sibi persuaserat, ut nouem locis (7, 40, 59, 63, 66, 99, 107, 107, 128) e codice Laurentiano lectiones adscriberet, quas codicis illius signo

non notauit, quaeque nihilominus a lectionibus e libro Laurentiano non promptis distincte differunt. Quamquam qui adhuc exemplar Corsinianum contulerunt, ne hoc quidem discrimen animaduerterunt, quamuis satis sit conspicuum. Quo factum est, ut et Skutschius p. 477 et Klotzius p. LIV Politianum propter lectiones signo non addito e Laurentiano depromptas neglegentiae arguerent, cum tamen ii qui exemplar Corsinianum contulerunt, non Politianus neglegentiae sint accusandi.

Quoniam igitur notas a Politiano atramento alio atque lectiones A* scriptas e tradita memoria nullo modo fluxisse et ab ipso Politiano a codicis Poggiani lectionibus conspicue distinctas esse uidimus, hae notae α a quaestione, utrum lectiones, quas Politianus signo originis non addito in exemplari Corsiniano adscripsit, omnes e codice uetusto manarint necne, longe sunt remouendae. Itaque hoc nobis quaerendum est, unde lectiones quas Politianus eodem atramento quo notas A* inscripsit, sed additamento non insigniuit, h. e. notae **A** signo originis non exornatae fluxerint.

Quae quaestio satis mira uideri potest. Quoniam enim Politianum codicis Poggiani collationem tam diligenter a coniecturis, quas antea inscripserat, distinxisse uidimus, et cum Politianus, postquam illum librum manu scriptum cum exemplari Corsiniano contulit, in subscriptione asseuerarit cautionem sibi fuisse, ne quid in corrigendo hoc exemplari suo praeter codicem mutaret, nihil magis est consentaneum quam omnes notas, quas eodem atramento inscripsit quo lectiones illas quas in Poggii codice se inuenisse dilucidis uerbis testatur, ex eodem illo codice Poggiano esse depromptas. Quod eo ueri fit similius, quod Politianus aliarum quoque collationum subscriptionibus, Ouidii, Columellae, Catonis et Varronis, affirmauit se obseruasse 'uetus institutum' suum, ne coniecturas lectionibus libri manu scripti immisceret neu ea quoque, quae falsa putaret, respueret. Quam rem H. Nohl 'Quaest Stat.' p. 28 sq. et Lundstroem, l. l. p. 7 sqq. merito

presserunt neque a Klotzio, qui p. LXIX hoc argumentum redarguere studuit, refutati sunt. Quod enim Klotzius protulit, nititur falsa Politiani uerborum, quae in Catonis Varronisque subscriptione insunt, interpretatione.

Sed offensi sunt uiri docti, imprimis Goetzius p. V sq. et Skutschius p. 481, eo, quod illas (nonaginta unam) potissimum lectiones disertis uerbis ad codicem Poggii rettulerit Politianus, alias non item. Quae dubitatio ipsa quoque satis mira est. Quomodo enim tandem exspectare possumus Politianum omnibus lectionibus ex uetusto codice descriptis, uel iis, ubi uerbo typis expresso nihil nisi unam litteram adscripsit, ut II 6, 93 ubi supra 'quod' nihil scripsit nisi 'ı', uerba 'ī antiq° lı° poggii' addidisse, id quod Goetzius hoc quem attuli loco profecto desiderat! Nonne enim uel per se ueri est similius eas tantum lectiones Politianum eiusmodi additamento insigniuisse, quas cur ita insigniret, eximia causa exstabat? Ac re uera omnibus illis locis, quibus notas A* adscripsit Politianus, causa perspicitur, cur lectionem in Poggii codice ita legi ut exarauit, apertis uerbis testatus sit.

Primum enim multae lectiones A* uehementer sunt corruptae: I praef. 35 est, I 4, 60 precidem, I 4, 66 phębeam, I 4, 90 veldae, I 6, 8 p//////, II praef. 28 deh///, II 2, 82 limau, II 6, 3 aaedere, II 6, 48 pudor unde, II 6, 58 causas, II 6, 104 habiture, II 6, 105 amori, II 7, 8 Euantię, III 2, 124 numine, III 3, 18 īplicitor, III 3, 114 vultibus et sibimet similis, III 4, 70 corpeus, III 4, 84 Faucia, III 5, 57 intracia, IV 3, 159 sandes *ut uid.*, IV 5, 17 lauāt, IV 6, 35 artus, IV 6, 52 taleę, IV 8, 19 lauro, V 1, 82 rotage, V 2, 48 nemea, V 3, 180 probatur, V 3, 181 Monstrastis, V 3, 209 luota, V 3, 241 si iungere, V 5, 8 lacescis. Huc pertinent etiam lacunae quas in Poggii codice fuisse Politianus testatur: II 1, 229, III 2, 56, IV praef. 8, IV 2, 27, IV 5, 42, V 5, 24, V 5, 25, V 5, 26, V 5, 27, V 5, 76, V 5, 77, V 5, 84. Quadraginta igitur tribus locis ea de causa notam uetusti codicis Politianus addidit, quod lectiones codicis admodum corruptas esse uidebat. Eadem causa etiam motus est, ut quattuor notis A* suam ipsius coniecturam adderet

signo 'c̊' notatam: II 6, 3, III 4, 70, IV 3, 159, V 2, 48, multo autem pluribus Domitianae coniecturas adiungeret, quas inde se prompsisse aperte affirmat: I 4, 60, I 4, 90, II 1, 229, II 6, 58, II 6, 104, II 6, 105, III 5, 57, IV 2, 27, IV 5, 42, IV 6, 52, V 1, 82, V 3, 209, V 3, 241, V 5, 8, V 5, 77, V 5, 84.

Deinde eas lectiones in codice Poggii exstare dilucidis uerbis testatus est Politianus, quae adeo non ab omni dubitatione remotae esse ei uidebantur, ut Domitii lectiones dignas putaret, quas adderet: I 2, 44 sedisses A*, .Do. venisses, I 2, 84 fodi A*, .Do. ht fixi, I 2, 203 nıtıdę A*, .Do. tumidę, I 3, 63 Demet A*, .Do. Demit, I 3, 84 lucrinę A*, .Do. lacinię, I 4, 23 Quis A*, .Do. Qui, I 6, 10 Iam velaria linea A*, Do. Iam bellaria Adorea, I 5, 43 animoque A*, animosque .Do., II praef. 31 Do. cōsideraremus, consuleremus A*, II 1, 88 At legisse .Do., Elegisse A*, II 2, 116 Huc .Do., hīc A*, III 1, 144 pumiceis Do., puniceis A*, IV 3, 106 Primę carbasa uentilatis aurę A*, Do. legit prima carbasa uētilantur aura, V 2, 137 coniuge A*, .Do. gurgite, V 2, 153 uallū A*, .Do. ueniam, V 5, 53 sı A*, .Do. sic, V 5, 58 rependis A*, c̊ reprendis .Do. Reprēdit. Septendecim igitur locis ideo notam codicis Poggiani addidit Politianus, quod lectionem Domitianam adscripturus erat.

Tum eos locos codicis Poggiani nota insigniuit Politianus, ubi editionis principis lectio, si tradita memoria niteretur, ferri posset, in uetusto autem codice longe alia lectio erat: I 2, 252 choris **a**, toris A*, I 4, 23 carmine **a**, numine A*, I 4, 40 potentis **a**, potentes A*, I 6, 20 Pręgrandes **a**, pregnātes A*, II 1, 72 turba **a**, turbo A*, II 2, 36 annos **a**, amnes A*, II 4, 15 conuiuia **a**, conuicia A*, II 7, 134 fessus **a**, festus A*, III 1, 86 cetusque **a**, coitusque A*, III 3, 32 aut animasque **a**, aoniasque A*, IV 1, 34 nefas **a**, tamen A*, IV 6, 87 Coenabit **a**, Ornabat A*, V 3, 263 nouit **a**, uouit A*, V 5, 14 carmina **a**, crimina A*, V 5, 31 ignauo **a**, nec eburno A*, V 5, 38 totiens **a**, quotiens A*.

Similes sunt ii loci, quibus Politianus eam ob causam dilucide addidit lectionem e codice Poggiano se deprompsisse, quod lectio a uocabulo typis expresso magnopere recedebat:

I 2, 203 mie **a**, nıtıdę A*, II 1, 218 habent **a**, init A*, II 3, 3 nodis **a**, vadis A*, II 3, 10 et **a**, hęc A*, III praef. 17 Nouiū **a**, Mecium A*, III 4, 81 uictor **a**, crinis A*, IV 3, 159 obuius **a**, abnues A*, V praef. 17 interuenisse **a**, inuenisse A*.

Alibi ea re, quod duae lectiones in codice exstabant, Politianus commouebatur, ut codicis ipsius mentionem faceret: II 3, 55 umbris **a**, vł humeris ⌊vtᵘque ÷ ī lı° pogii⌋, IV 1, 23 ⌊vtrᵘque h̄t codex poggii⌋ aris uł astrís.

Similiter res se habet, ubi in codice Poggii litterarum ductus non satis erant perspicui: I 2, 147 uiridis **a**, āt uł nitidis, I 4, 88 litterarum ductus tales fuisse uidentur, ut et 'laeta' et 'lacera' legi posset, IV 3, 81 in codice facilius poterat legi 'struitusque' quam 'seruitusque'. Adde V 3, 219 'Quam τuus', quam lectionem propter litteram τ singularem dilucide ad codicem rettulit. Quibus extremis sex locis re ipsa quasi cogebatur Politianus, ut codicem Poggii diserte memoraret.

Iam notarum A* nulla restat nisi I 4, 86ᵃ, ubi cum in edito exemplari uersus exstaret, qui in codice non legebatur, Politianus facere non poterat, quin codicis Poggiani mentionem iniceret, et V 3, 105, ubi supra uocabulum impressum 'cineremque' scripsit 'crimem'[1]), sed cum in scribendo se errasse uideret, uocabulum suprascriptum deleuit et in margine dextro adscripsit: 'crinem ⌊.ant.⌋'.

Videmus igitur ubicumque Politianus lectioni alicui notam codicis uetusti addidit, eum commotum esse eo, quod lectio, quae ei e libro manu scripto describenda erat, aut magnopere erat corrupta, aut talis, ut ipsius uel Domitii coniecturam apponere e re ei uideretur, aut quod e Poggii codice lectio talis euadebat, qualem, qui nullum Siluarum exemplar nisi principem editionem adhibebat, exspectare nequiret, aut quod ipsa lectionum condicione cogebatur codicis uetusti diserte mentionem facere. Itaque singularis quaedam causa, qua commotus codicis Poggiani notam addiderit, ubique perspicitur.

1) non 'crimen', quod Skutschius p. 477 attulit.

Ceterum, quam insignis sit lectionum A* natura, etiam inde cernitur, quod longe plurimas notas A* margini adscripsit Politianus. Viginti una enim tantum supra lineas scriptae sunt: I 2, 147, I 2, 252, I 4, 23, I 4, 40, I 4, 60, I 5, 43, II 1, 72, II 1, 218, II 3, 10, II 4, 15, II 6, 48, III 1, 86, III 2, 56, III 3, 32, IV 1, 34, IV 2, 27, IV 8, 19, V 2, 137, V 3, 180, V 3, 181, V 5, 58; omnes ceterae in marginibus exstant. Lectionum A autem ne unam quidem, si rem accurate consideramus, Politianus margini adscribere uoluit. Nam notae atramento illo diffuso marginibus adscriptae aut sunt lectiones Domitianae signo 'D' uel 'Do.' insignitae (I 2, 98, I 2, 180, I 2, 183, I 3, 16, I 3, 26, I 4, 29, I 4, 60, I 4, 61, I 5, 21, I 5, 29, I 6, 15, II praef. 9, II 1, 69, II 2, 35, II 6, 8, II 7, 55, III 1, 149, III 2, 30, III 3, 61, III 3, 98, III 3, 137, III 4, 11, III 5, 1, III 5, 50, III 5, 104, IV praef. 38, IV praef. 40, IV 2, 27, IV 2, 61, IV 3, 59, IV 3, 66, IV 3, 140, IV 3, 145, IV 4, 63, IV 4, 71, IV 4, 72, IV 6, 35, IV 6, 64, V 1, 51, V 1, 66, V 1, 93, V 1, 102, V 2, 65, V 2, 125, V 2, 137, V 2, 145, V 2, 160, V 2, 168, V 3, 35, V 3, 44, V 3, 57, V 3, 85, V 3, 94, V 3, 99, V 3, 112, V 3, 114, V 3, 119, V 3, 129, V 3, 141, V 3, 199, V 3, 222, V 3, 223, V 3, 233, V 3, 273, V 3, 281, V 3, 293, V 5, 8, V 5, 46, V 5, 68, V 5, 75, V 5, 80), aut Politiani coniecturae signo 'c' notatae (II 3, 3, III 5, 29, IV 2, 28, IV 3, 11, IV 3, 13, IV 3, 62, IV 4, 71, IV 4, 72, IV 7, 56, V praef. 16, V 1, 255, V 3, 153, V 5, 53, V 5, 80), aut ideo margini sunt adscriptae, quia uocabulum, ad quod referendae sunt, primam uel secundam aut ultimam uel paenultimam uersus sedem obtinet (I 2, 103, I 2, 148, I 3, 78, I 3, 95, I 4, 29, II praef. 20, II 1, 137, II 2, 117, II 3, 51, II 3, 76, II 6, 5, II 6, 10, II 7, 37, II 7, 135, III 1, 13, III 3, 112, III 3, 193, III 3, 201, III 4, 34, III 5, 43, III 5, 66, IV 3, 21, IV 3, 22, IV 3, 35, IV 3, 36, IV 3, 65, IV 3, 74, IV 3, 85, IV 3, 114, IV 6, 39, IV 6, 57, IV 7, 55, IV 9, 30, V 2, 21, V 2, 141, V 3, 121, V 5, 58, V 5, 64, V 5, 67), aut propterea margini adscribi debuerunt, quod litterae typis expressae spatium lectioni adscribendae non reliquerunt (I praef. 20, II 2, 60, IV 6, 9), aut toti sunt uersus, qui intra lineas non potuerunt scribi (I 2, 36, I 3, 67 et 68, II 7, 116, III 2, 136, IV 3, 130). Praeter

has, quas modo proposui, notas nulla lectio atramento illo diffuso in margine adnotata est nisi una V 1, 64, ubi ad 'maioribus' typis expressum Politianus in margine dextro scripsit 'in moribus'. Quae lectio tam conspicue recedit a Matritensis lectione 'maioribus', ut ex eodem archetypo quo haec manasse non possit. Atque quoniam Politianum lectionem e codice petitam, nisi externis causis coactum, margini non adscripsisse modo ostendimus, quae non primum uel secundum aut ultimum uel paenultimum uersus locum obtinet, hoc, quod margini est adscripta lectio, cuius prima pars antepaenultimo uersus loco exstat, satis ualidum indicium est, quo lectionem 'in moribus' non e codice Poggii, sed ex editione Domitiana, in qua exstat, promptam esse, atque Politianum editionis signum addere hoc loco oblitum esse proditur. Videmus igitur Politianum, nisi apertissimis commotus esset causis, ne unam quidem lectionem e codice Poggii promptam neque codicis signo notatam margini adscripsisse. Lectionum A* autem cum longe plurimas marginibus adscripserit Politianus, apparet uirum doctum eas, ubi primum in codice repperit, pro notabilioribus quam ceteras codicis lectiones habuisse.

Sed potest quis ea quae Goetzius l. l. p. V sq. disputauit secutus obicere inter notas A esse lectiones non minus notabiles quam notas A*. Quod Goetzii argumentum cum Lundstroemio p. 6 tantopere placuerit, breuiter refutabo. Videtur enim — ut omittam locos, quibus uir doctus lectionibus a Baehrensio non recte in publicum propositis in errorem ductus est — Goetzio lectio qualis 'unde notae' (A*) pro 'inde notae' (a) (II 6, 48) non magis notabilis esse quam 'ulli' (quae ceteroquin nota *a* est, non A, quod, cum Goetzii error in alia re positus sit, hic nihil ad rem) pro 'illi' (a) (III 4, 68), 'Quis' (A*) pro 'Qui' (I 4, 23) non notabilior quam 'quid' (A) pro 'quod' (a) (II 6, 93), sim. Putat igitur Goetzius nullam lectionem, ubi una uerbi impressi littera a Politiano mutata sit, magis notabilem esse posse quam ceteras lectiones una littera mutata effectas, idemque ualere ad duas, tres etc. litteras mutatas. Quae sen-

tentia probari nequit. Lectio enim 'unde notae' non eam ob causam Politiano notabilis uisa est, quod littera 'i' impressa mutanda erat in 'u' (neque quod pro uocabulo typis expresso 'puer' scribendum erat 'pudor'), sed eam ob causam, quod uerba 'pudor unde notae' adeo sunt corrupta, ut sanari non posse uideantur[1]. Altera autem, quam Goetzius attulit, lectio A* 'Quis' pro 'Qui', non ideo Politiano notabilis uisa est, quia 's', quae in codice legebatur, delendam esse fortasse putabat, sed quia uehementissime dubitari potest, utrum lectio tradita 'Quis' genuina sit an sit potius scribendum 'Qui'. Ab his duobus locis difficillimis quantopere differunt loci isti III 4, 68 et II 6, 93, ubi 'ulli' pro 'illi' et 'quid' pro 'quod' scribendum esse nemo non uidet! Numerauit igitur solum litteras a Politiano mutatas Goetzius, non totas lectiones pependit; similiterque de aliis quoque quas protulit lectionibus errauit.

Ceterum quamquam supra uidimus Politianum eas notas, quas codicis Poggiani signo notauit, non sine singulari quadam causa pro notabilioribus habuisse, tamen nequaquam negauerim inter notas A quoque esse, quae satis sint memorabiles, uelut II 1, 161, ubi codex habuit 'palam est uidique' pro 'Palaestinique', V 5, 67 'Aedituas' pro 'Nequitias'. Sed quo tandem iure possumus postulare, ut easdem lectiones, quae nobis quidem uidentur notabiles esse, Politianus eo temporis momento, quo e uetusto codice descripsit, tam diligenter examinauerit, ut e re esse sibi persuaderet apertis uerbis testari lectiones re uera ita ut exscripserit in Poggii codice scriptas legi?

Itaque in hoc acquiescamus necesse est Politianum eas lectiones, quas tum, cum e uetusto codice descripsit, prae aliis notabiles esse putabat, in codice Poggiano ita, ut descripserit, legi diserte testatum esse, ceteras autem lectiones nihilo minus ex eodem illo codice Poggii descriptas esse,

1) Ne unus quidem ex uiris doctis usque ad hunc diem mea quidem sententia ueram huic loco medelam praebere potuit; atque recentissimus editor lectionem recepit quae sensu prorsus caret.

quippe ad quas praecipue spectent subscriptionis uerba cautionem Politiano fuisse, ne quid in corrigendo exemplari suo ab illo codice mutaret.

Ex his simul apparet errauisse Skutschium, qui coniecerit (p. 481) ideo Politianum notas illas A* ad codicem Poggii aperte rettulisse, ut eis Domitium Calderinum refelleret. Haec sententia, quae Klotzii quoque p. LVII sq. summum plausum tulit, certe eo maxime nititur, quod adhuc uulgaris fuit opinio notas, quae a Politiano in exemplari Corsiniano scriptae sunt, easdem esse atque adnotationes illas, quas Domitii impugnandi causa marginibus domestici codicis se adscripsisse Politianus cum Beroaldo communicauit. Quod uiros doctos prorsus perperam opinatos esse cum (p. 47 sqq.) demonstrauerim, eo magis labefactatur et illa Skutschii opinio et Klotzii, qui non solum notas A*, sed etiam notas A Politianum ea de causa in exemplar Corsinianum rettulisse contendit, ut Domitium corrigeret (p. LVIII). Argumentum autem et Skutschius et Klotzius hoc protulerunt, quod omnes notae A* a lectionibus Domitii recedunt paucis exceptis: II 3, 10 hęc (quem locum Klotzius iniuria omisit), III 1, 144 puniceis, V 2, 48 nemea (quem locum ut hic omitteret Skutschius eo perductus est, quod falsam Domitii editionem adhibuit). Ad quas aliae accedunt quinque notae A* cum editione Domitiana prorsus concinentes: I 2, 147 nitidis, I 2, 252 toris, I 4, 40 potentes, II 2, 36 amnes, IV 1, 34 tamen. Octo igitur notae A* cum prorsus congruant cum Domitii lectionibus, Politianus in notis A* adscribendis non potest id spectasse, ut Domitium impugnaret, praesertim cum — III 1, 144 et V 2, 48 exc. — omnes hae lectiones uerae sint. Sed quantopere Skutschius Klotziusque errarint, ex alia re etiam manifestius apparet. Triginta enim duabus notis A* (falso Skutschius p. 481 dixit triginta septem) Politianus Domitii lectiones addidit. Quodsi Domitii impugnandi causa Politianus notas A* inscripsit, lectiones Domitii, quas notis A* addidit Politianus, falsissimae esse debent. At uide hos locos, quibus et notam A* et Domitii lectionem adscripsit:

I 4, 23 Quis a, *in marg. sin*: ⌊c. pog.⌋ Quis ⌊.Do.⌋ Qui **P**

I 4, 60 precidem a, *in marg. d*: ⌊Do.⌋ pridem **P**
I 4, 90 uel det **a**, *in marg. d*: ⌊ī lı° pog⌋ veldae ⌊Do.⌋ veledę **P**
I 5, 43 animoque a
II 6, 58 creas a, *in marg. d*: ⌊Do.⌋ casus ⌊.pog.⌋ Causas **P**
III 5, 57 intrantia **a**, *in marg. d*: ⌊.ant. pog⌋ intracia ⌊.Do. ///// (*fort.* autem)⌋ trachÿnia **P**
V 1, 82 rogate a, *in marg d*: ⌊ant.⌋ rotage ⌊.Do.⌋ togęque **P**
V 3, 241 subiungere **a**, *in marg. d*: seiungere ⌊Do.⌋ si iungere ⌊po.⌋ **P**

Quibus locis lectiones **A*** omnes (fort. exc. I 4, 23) sunt aperte corruptae, Domitii autem lectiones sunt emendationes egregiae et sine dubio uerae. Itaque non, ut impugnaret Domitium, Politianus Domitii lectiones adscripsit, sed ut iis, quae ille assecutus erat, usus exemplar suum corrigeret. Atque idem consilium in ceteris quoque Domitii lectionibus addendis Politianum secutum esse inde elucet, quod notae **A***, quibus coniecturas Domitii addidit, aut corruptae sunt aut tales, quales Politiano dubiae uideri possent, et quod lectiones Domitianae a Politiano additae si uerae non sunt tamen omnes ueri speciem prae se ferunt. Neque silentio premam nonnumquam apertis quasi uerbis Politianum testari se Domitii lectiones ideo adscribere, quia dignae sibi uideantur, quae considerentur. Velut V 5, 68 adscripsit: 'al Simium ⌊.Do. nō p{ro}bo[1])⌋', V 5, 84 'deest r{e}liqum hui{us} v{er}siculi ĩ ãtiq° codice | ⌊.Do.⌋ Nitantes ⌊nō p{ro}bo q{ui}a nictus pri⟨mam⟩ h̄t lōgā⌋'. Quibus locis se Domitii lectiones non probare Politianus non adscripsisset, si omnes quas inscripsit lectiones Domitianas improbasset. Huc accedit aliquanto certius argumentum: IV 3, 81 enim Politianus cum lectionem quam in uetusto codice legebat 'struitusque' sensu carere uideret, Domitii lectionem 'strictus atque tanti ẽ' adscripsit. Postquam autem in codice 'seruitusque' scriptum esse dinouit (cf. p. 37), non solum cetera, quae e codice adnotauerat, sed Domitii quoque coniecturam deleuit. Quodsi Domitii lectiones

1) uncis { } eas litteras seclusi quae per compendium scriptae sunt.

ideo adscripsisset Politianus, ut eas falsas esse demonstraret, certe, postquam egregiam illam lectionem in codice Poggiano inuenit, non habuisset, cur lectionem Domitianam deleret, immo eo potius cum tradita lectione comparandam proposuisset. Quibus de causis id, quod Skutschius primus de Politiani in adscribendis notis A* consilio sibi excogitauit, nequaquam ferri potest. Itaque Klotzius, qui opinatur in notis A quoque inscribendis Politianum id egisse, ut Domitium corrigeret, eo magis refellitur. Sed quo dilucidius uideas, quidnam consilii Politianus in notis in exemplari Corsiniano adscribendis secutus sit, aliquot etiam locos propono, quibus editio princeps lectionem habet aperte corruptam, Politianus autem nihil nisi Domitii lectionem addidit. Quos locos ita affero, ut priore loco Domitii lectionem a Politiano exhibitam afferam, altero editionis principis lectionem uncis seclusam: I 2, 183 iugaui (iugali), II 1, 69 altor (alter), II 2, 122 diademata (diademate), III 3, 61 lÿdius (lilius), III 3, 157 Errauit (Errabit), III 5, 1 quid (Quis), IV 2, 61 limina (lumina), IV 3, 66 sauo (sason), IV 3, 145 seriem (series), IV 6, 64 ab hoc (ad hoc), V 1, 66 ad maiora uocasset (& maiora ṅatasset a), V 2, 131 cedibus (cedimus), V 2, 168 Sed (Si), V 3, 85 Nota (Nata), V 3, 99 heroos tenores (oroos leones), V 3, 199 Deorum (duorum), V 3, 223 haustu (hausti), V 5, 86 tenello (tenebo).

Editionis principis lectiones illae, quas falsissimas esse nemo negabit, cum eaedem in codice Matritensi legantur item corruptae, apparet Politianum eo quod Domitii lectiones illas (signo 'Do.' notatas) adscripsit, testatum esse easdem lectiones, quae in exemplari typis expresso exstent, in Poggii quoque codice legi. Quas lectiones corruptas esse cum Politianus primo certe oculorum obtutu uiderit, atque cum lectiones Domitianae, quas adscripsit, adeo sint uerae, ut etiam hodie omnes in uerborum contextum ab editoribus receptae sint, manifestissimum est Politianum non Domitii impugnandi causa coniecturas illius adscripsisse, sed ut ea quoque, quae illius ingenio debebantur, ad Statii uerba recte restituenda adhiberet.

Itaque quaecumque Skutschius Klotziusque de consilio, quod Politianus in codicis Poggiani lectionibus adscribendis secutus sit, excogitauerunt, nullo modo probari possunt; immo Politianus cum Poggii codicem contulit nihil aliud spectauit nisi quod se egisse in subscriptione dixit, ut exemplar suum corrigeret. Quod non aliter fecit atque nos, si eodem quo Politianus munere fungeremur: primum enim codicis Poggiani lectiones ab edito exemplari recedentes adscripsit, simulatque autem in uetusto codice lectionem inuenit, quae uera non esse ei uisa est, a Domitio et ab ipsius ingenio auxilium petiuit.

Falsas istas opiniones cum de simultate, quae Politiano cum Domitio fuit, circumferri uideam, aequum mihi uidetur ea, quae Politianum ipsum de illa simultate dixisse inueni, hoc loco afferre. Scripsit enim Politianus in Miscellan., cap. IX (Polit. Op., aed. Ascens. 1512 fol. CVII) cum alia tum haec: 'Domitius igitur Calderinus Veronensis: qui decem abhinc annos vita functus: vir fuit acris ingenii: multęque in literis industriae: latinae linguae diligentissimus: graecae non incuriosus: Non prosam condere absurdus: non carmen. Nimium sui tamen (quod opera ipsius testantur) admirator: ac pro sententia cui semel adhaeserat: etiam contra verum contumax: . . . . . Sunt autem editi ab eo grammatici commentarii aliquot: vt in Martialem: Iuuenalemque poetas: . . . Sed et in Statii siluulas: et in epistolam Sapphus: in Ibin quoque Nasonis: edidit quaepiam: plena nimirum bonae frugis vbi non fucum facit: . . . . Nos quoque dein primae sub flore iuuentae: non quidem vt ipsius libros plane de manibus excuteremus: sed vt somniculosam iuuentutem: velut in aurem utramque dormientem: expergefaceremus: in ipso iam tum nostrae professionis tirocinio: sic eundem leniter quandoque: quasique parcente manu feriebamus: et nunc idem facturos praefamur: vtcunque res feret: e. q. s.' Ex hoc Politiani ipsius testimonio intellegimus Poli-

tianum in Domitio impugnando nequaquam caecutisse (id quod Skutschius et Klotzius opinati esse uidentur), sed ea, quae Domitius litteris praestiterat, libenter comprobasse.

Quoniam igitur magnis uirorum doctorum erroribus libri Poggiani collationem a Politiano factam adhuc obrutam fuisse uidimus, priusquam de ea agere pergamus, lubet quam breuissime comprehendere, quae de ipsa illa collatione adhuc demonstrarim: Politianus, cum anno 1494 in Poggii codicem incidisset, eum cum editionis principis exemplari (nunc Corsiniano), in quo antea iam Domitii ipsiusque coniecturas (*α*) adnotauerat, ita contulit, ut longe alio atramento, atque antea usus erat, lectiones ab editione principe recedentes inscriberet atque eas codicis lectiones, quae ei prae aliis notabiles esse uidebantur, re uera ita ut exscripsisset in codice Poggii legi apertis uerbis testaretur. Atque in hoc conferendi negotio Politianus nihil spectauit, nisi ut fundamentum ad Statii uerba recte constituenda poneret, quo firmius certiusque exstare non posset. Domitii autem coniecturas signo 'D.' uel 'Do.' addito inscriptas item ut ipsius coniecturas nota '$\overset{c}{c}$' insignitas non nisi ideo adscripsit, ut codicis lectionibus, quae ei corruptae uel a dubitatione non remotae uidebantur, succurreret. Quae postquam didicimus, tandem ad quaestionem illam transire possumus, num inter notas, quas Politianus eodem atramento quo notas A* inscripsit, sed neque codicis Poggiani neque Domitii uel ipsius coniecturae signo notauit, i. e. inter notas A signo non addito relatas, lectiones sint, quas Politianus non e uetusto codice, sed ex editione Domitiana uel ex ipsius ingenio uel aliunde prompserit. Quod ueri dissimillimum esse iam supra inde intelleximus, quod Politianus coniecturas, quas ante codicem collatum in exemplari adnotauerat, tam diligenter a codicis Poggiani lectionibus distinxit, et quod codice uetusto collato subscriptione asseuerauit cautionem sibi fuisse, ne quid in corrigendo hoc exemplari suo praeter illum codicem mutaret. Sed quoniam Politiani ipsius testimonio fidem non habuerunt uiri docti, nostrum est etiam ex re ipsa quaestionem illam diiudicare.

Sed priusquam ad rem ipsam accedamus, de difficultate

aliqua, quae ad notas A recte aestimandas impedimento esse uiris doctis uisa est, nobis est agendum. Praeter Politianum enim alii uiri docti in exemplar Corsinianum notas rettulerunt, quae interdum a Politiani notis uix possunt discerni (cf. Baehrens. p. VI sq., Goetz. p. V, Skutsch. p. 472). Quas ad manus cum uiri docti adhuc non satis diligenter animum aduerterint, quo factum est, ut uel Vollmer nonnumquam eas cum Politiani notis commutaret, de hac quoque re mihi accuratius est agendum.

Plerasque illarum notarum a Politiani manu non oriundarum uir doctus aliquis atramento non minus pallido, persaepe pallidiore quam quo Politianus Poggii librum conferens usus est, in exemplar Corsinianum rettulit. Verum bona fortuna accidit, ut ille non coniecturas adnotaret, sed nihil nisi nomina propria aliaque uerba, quae in Siluis occurrunt et ei plurimi momenti esse uidebantur, singulis locis in marginibus adscriberet. Quae cum satis procul a uersibus typis expressis scripserit, multae huius modi notae a bibliopega, qui in religando libro Corsiniano margines amputauit, recisae sunt. Eadem illa manu in omnium paginarum capitibus (usque ad p. 163; ultra p. 163′ (= IV praef.) haec manus non processit) etiam tituli carminum suprascripti sunt. Quod cum Vollmer non animaduerterit, ad prauam opinionem perductus est in III 3 et III 5 Politianum eosdem titulos carminum, qui in edito exemplari typis expressi sunt, in capitibus foliorum quater suprascripsisse. Hos enim titulos non a Politiano, sed manu illa scriptos esse e litterarum ductu manifesto apparet. Illa enim manus, quam ut a ceteris manibus distinguam, numero I insigniui, facilior est quam Politiani, atque hoc maxime eius proprium est, quod litterae maiusculae multo maiores sunt quam minusculae, in Politiani autem ductu litterarum hae non multo minores sunt quam illae.

Ceterum cum atramentum, quo manus I usa est, tam pallidum sit, ut notae illae saepe nequeant dinosci, et cum Politianus quoque in codice conferendo atramento pallido et diffuso usus sit, factum est, ut Baehrensius p. VI diceret

hominem quendam male sedulum in singula folia spongia saeuisse. Quod quamquam omnes usque ad Klotzium (p. LI) crediderunt, tamen uerum non est. Interdum enim notae una cum charta multorum usu magnopere attritae sunt[1]), sed nusquam uestigia exstant, ex quibus appareat eiusmodi uim Politiani notis esse illatam. Hoc eo fidentior affirmo, quod, postquam ipse intellexi, Wachsmuthius Zangemeisterum uirum illum de codicibus excutiendis egregie meritum iam ante XXV annos idem fere uidisse ex illius epistula ad se data mecum communicauit. Anno enim 1877 Zangemeister librum Corsinianum ipsum Romae inspexit et notas manus I spongia detritas esse, in Politiani notas neminem saeuisse statuit.

Altera manus (man. II) atramento fusco et satis perspicuis litteris, quarum propria est litterae 'r' forma, aliquot poetarum Latinorum, imprimis Martialis, locos adscripsit, uelut in prima Siluarum pagina et post Siluas in paginis uacuis 188 et 188'. Praeterea autem lectiones quoque singulas et locorum explicationes marginibus adscripsit. Quarum memoranda mihi est adnotatio ad I 1, 103 adscripta '*Ταρασ.* v̂bs' (= urbs; Vollmer 'vetus' intellexisse uidetur) e. q. s., quam notam, quamquam atramento piceo scripta est et litterarum quoque ductu a Politiani manu differt, Vollmer Politiani esse credidit et 'Taras A* (?)' attulit. Eadem manu II I 2, 147 margini sinistro adscriptum est '.ant. viridis' (h. e. 'antiquum viridis' scil. esse mihi uidetur), quam notam ipsam quoque Vollmer ut notam A* attulit, quamquam et atramento et litterarum ductu uehementissime a Politiani nota supra 'uiridis' scripta 'āt uł nitidis' recedit.

Tum uir doctus aliquis (man. III) in primi libri carmine primo litteris plerumque perparuis et atramento pallido sed non diffuso multas coniecturas et intra uersus et in margine adscripsit, quae hic illic a Politiani manu difficillime possunt discerni, uelut u. 42 'themese dedit'. Atque quae Baehrensius ut A attulit 'Discitur' (u. 25), 'It' (u. 43), 'tāto' (u. 56), et

1) uelut carminis II 7 subscriptio in infima pagina 150 a Politiano scripta.

quod Vollmer (u. 38) in apparatu scripsit 'praetendens *Politianus*', a manu illa III scripta sunt, non a Politiano. Bene accidit, quod haec manus solum ad primum carmen adnotauit et iam ante ultimos huius carminis uersus de opera sua destitit.

Tum quarta manus (IV) memoranda est, quae atramento fusco usa litteris claris et satis nitidis aliquot notas adscripsit. Quae editionis tituli uocabulum 'SVRCVLI' deleuit et cum alia tum nonnullos Sidonii locos adnotauit, ut in prima pagina.

Denique aliae manus, quas discernere operae non est pretium, nonnullas notas, sed non multas, inscripserunt; uelut IV 7, 19 aliquis 'laticem ue motus' mutauit in 'liticen ue notus', lectionem ex editione Parmensi depromptam, quam ut a Politiano scriptam (A) Vollmer attulit, quo errore in prauam opinionem inductus est, ut Parmensem quoque editionem a Politiano adhibitam esse diceret (p. VII et p. 485).

Illas manus omnes post Politianum notas in exemplari Corsiniano adscripsisse consentaneum est. Nam neque usquam ansa exstat, cur ante Politianum eas in exemplari grassatas esse putemus, et ueri est dissimillimum Politianum in librum, in quo alii iam notas adscripserant, codicis lectiones rettulisse. His notis quod rectum de notis A iudicium impediri crediderunt uiri docti, errarunt. Nam manus I notae et litterarum ductibus a Politiani manu diuersis et ipsa notarum natura a notis A semper distincte differunt. Ceterae autem manus quamquam interdum cum Politiani notis commutari possunt, tamen, quoniam atramento non diffuso usae sunt, solum cum notis *a* possunt commutari, numquam cum notis A. Velut omnes notae, quas Skutschius p. 472 attulit, quae utrum a Politiano prouenerint an ab aliis, uiros doctos dissentire ille docet (I 1, 42 themese dedit, I 2, 11 ducit, I 2, 159 q{uam}, IV 6, 5 manet, IV 6, 25 Hic, IV 8, 15 dulci, IV 8, 51 lampada mystae), atramento non diffuso scriptae sunt, h. e., etiamsi a Politiani manu prouenerunt, nihilominus e codice manu scripto promptae non sunt. Itaque notae aliarum manuum, quamquam fortasse hic illic eas cum Politiani

notis ante collatum Poggii codicem adscriptis confundas, tamen cum codicis uetusti collatione nusquam commutari possunt. Qua de causa dubitationes, quas uiri docti de notis a Politiani manu non oriundis mouerunt, nihili sunt.

Hac quoque difficultate, quae obstare uisa est, quominus codicis Poggiani lectiones cum aliis lectionibus e codice non descriptis non esse commixtas putaremus, de medio sublata ad ipsam quaestionem illam accedere possumus, num Politianus, quamquam in subscriptione asseuerauit cautionem sibi fuisse, ne quid in corrigendo exemplari suo praeter codicem mutaret, nihilo minus una cum codicis lectionibus suas aliorumque coniecturas inscripserit, quas unde prompsisset, non adscripsit.

Lectionum, quas Politianus tum cum Poggii codicem cum exemplari Corsiniano contulit, in illud exemplar rettulit, h. e. lectionum A numerus multo maior est quam adhuc uiri docti sciebant. Nohlius enim, qui solus notarum numerum indicauit, mille ducentas fere Politiani notas (in his notas A* quoque) Kiesslingium Koehlerumque in Corsiniano libro inuenisse dixit (Quaest. Stat. p. 29). In his quin permultae notae α fuerint, dubium non est. Ego autem praeter illas quingentas sedecim Politiani notas atramento non diffuso scriptas (α) repperi mille quadringentas triginta sex lectiones, quas Politianus atramento illo diffuso pallidoque rettulit. Vides igitur septingentas quinquaginta fere Politiani notas Kiesslingii Koehlerique oculos fugisse. Harum mille quadringentarum triginta sex lectionum cum una et nonaginta notae A* sint, efficiuntur mille trecentae quadraginta quinque lectiones a Politiano eodem quo notae A* atramento scriptae. Quarum cum sexaginta tres signo ‘D.’ uel ‘Do.’, decem signo ‘c^e’ notatae sint, mille ducentae septuaginta duae efficiuntur lectiones, quas Politianus eodem quo notas A* atramento inscripsit, sed, unde prompserit, non nisi subscriptione testatur.

Quaeritur igitur, utrum hae mille ducentae septuaginta duae lectiones A non aliunde nisi e Poggii codice promptae sint, id quod Politianus

in subscriptione asseuerauit, an Politianus tam neglegens fuerit, ut, quamuis illud asseueraret, nihilo minus unici illius codicis lectiones cum suis aliorumque coniecturis confunderet.

Harum notarum **A** mille centum quadraginta lectiones cum Matritensi ad litteram concinunt, in his quinquaginta duae uel in falsis lectionibus: I 2, 46, I 3, 71, I 4, 11, I 4, 75, I 4, 83, I 6, 12, I 6, 15, I 6, 18, II 1, 64, II 1, 161, II 1, 191, II 1, 201, II 3, 77, II 2, 78, II 2, 79, II 2, 113, II 6, 6, II 6, 8, III 1, 13, III 1, 48, III 1, 69, ibid., III 2 tit., III 2, 81, III 3, 98, III 3, 99, III 3, 112, III 5, 32, III 5, 46, III 5, 50, IV praef. 22, IV praef. 39, IV 2, 67, IV 3, 20, ibid., IV 3, 89, IV 6, 57, V 1, 45, V 1, 66, V 1, 81, V 1, 139, V 1, 230, V 1, 233, V 1, 255, V 2, 18, V 2, 130, V 3, 46, V 3, 69, V 3, 127, V 5, 29, V 5, 67, V 5, 68. Notas **A** igitur, quae cum Matritensi congruunt, a Politiano e Poggii codice descriptas esse nemo erit qui neget. Centum autem triginta duae lectiones **A**, quae restant, a Matritensi recedunt. Decima igitur fere notarum **A** pars a codice Matritensi discrepat. Notarum **A*** autem cum plus uicesimam partem a Matritensi recedere uiderimus, quo fit, ut notarum **A** multo minor pars a Matritensi discrepet quam notarum **A***[1]), manifestum est omnes lectiones **A** eadem ratione qua **A*** e Poggii codice esse descriptas.

Quae res certissima fit eo, quod Politianus satis multis locis, quibus editio princeps habet lectiones aperte corruptas, quae, cum eaedem in codice Matritensi exstent, dubium non est, quin in Poggii quoque codice fuerint, lectiones typis expressas non mutauit, sed alias lectiones, quae uerae esse ei uidebantur, adscripsit, quarum originem diligenter addidit. Quos locos ita propono, ut priore loco editionis principis lectiones exscribam, tum Politiani notas, quas ille adscripsit, uncis seclusas: I 2, 98 Sic (Do hic), I 2, 183 iugali (.Do. -ui), I 3, 16 Arte manus artemque (Do concessa), I 3, 26 fluuiorum

1) quae res certe inde orta est, quod lectionum **A*** multo plures sunt corruptae quam lectionum **A**.

optare (Do fluiū ne obstare), I 6, 70 timentes (tu — Dom.), II praef. 9 expectet (.Do. expectetur), II 1, 51 nunq{uam} ('et D'*ante* 'n.' *suprascr.*), II 1, 69 alter (.Do. altor), II 2, 35 lycęo (.Do. lechęo), II 2, 122 diademate (-ta Do), II 3, 3 Curuata (cͤ Accu{r}uata), III 3, 61 lilius (.Do. Lydius), III 3, 157 Errabit (Errauit D), III 5, 1 Quis (.Do. quid), III 5, 29 comes (cͤ comis), IV 2, 28 doride (cͤ. Doridi), IV 2, 61 Lumina (.Do. limina), IV 3, 11 et 13 Quis (cͤ qui), IV 3, 59 deuie (Domitius lechię), IV 3, 62 Et (.cͤ. It), IV 3, 66 sason (Do. sauo), IV 3, 145 series (.Do. seriem), IV 4, 71 paruaque (.Do. patrię), IV 6, 64 ad hoc (ab hoc Do.), V praef. 16 uisum (cͤ usum), V 2, 131 cedimus (cedibus .D.), V 2, 145 uitę specula (.Do. nitidas speculas), V 2, 168 Si (.Do. Sed), V 3, 44 Inferni cum laude laci (Inserui cū laude lo. .Do.), V 3, 85 Nata (Nota .Do.), V 3, 99 oroos — leones (.Do. heroos tenores), V 3, 112 pręstat sed tempora seris (.Do. prestrinxit tempora sertis), V 3, 153 Obsitus (cͤ Ibycus), V 3, 199 duorum (.D. Deorum), V 3, 223 hausti (.Do. haustu), V 3, 293 nec (.Do. et), V 5, 53 a duro (cͤ ah durus), V 5, 80 Concupii (Non cupij .Do.), V 5, 86 tenebo (-llo Do).

Ex his quadraginta locis intellegimus, quanta re uera Politiano fuerit cautio, ne quid in corrigendo exemplari suo contra codicem mutaret. Etenim has editionis principis lectiones aperte corruptas Politianus sine dubio primum cum codice contulit, in quo cum easdem repperisset, lectiones, quae uerae esse ei uidebantur, aut ex editione Domitii aut ex ipsius ingenio adscripsit, neque uero ita, ut nihil nisi uerborum contextum corrigendum spectaret, uerum ita, ut, quae esset codicis lectio, quae ipsius uel Domitii coniectura, diligenter distingueret.

Eandem accurationem triginta tres alii loci testantur, quibus editionis principis lectionibus plerumque cum Matritensi congruentibus, quae, quamquam magna ex parte uerae sunt, tamen Politiano dubiae esse uidebantur, non mutatis alias lectiones adscripsit, quibus aut 'Do' aut 'cͤ' addidit.

T a m d i l i g e n t e r i g i t u r c u m P o l i t i a n u s c a u e r i t, n e s u a s u e l a l i o r u m c o n i e c t u r a s c u m c o d i c i s l e c-

tionibus commisceret, illud, quod iam supra e compluribus certissimis argumentis statuimus, ab omni dubitatione remotum est, quin lectiones A cum coniecturis non sint confusae, sed omnes sint lectiones, quas Politianus e Poggii codice, unico illo omnium qui sunt in manibus codicum fonte, descripsit.

Quae res eo quoque manifesta fit, quod notae A, quae a Matritensi discrepant, omnes, exc. II 7 tit. iisque notis ubi Matritensis librarius quid omisit uel addidit, ita recedunt, ut discrepantiae e litterarum formis, qualibus codicis Poggiani librarium usum esse in prima huius dissertationis parte uidimus, explicari possint. Illis litterarum formis codicis Matritensis librarium persaepe in errorem inductum esse ibidem uidimus. Politianum autem, uirum illum doctissimum, eosdem miseros errores atque librarium istum indoctissimum non commisisse cum consentaneum sit, eo ipso exspectare possumus multis locis, ubi Matritensis librarius e codice, qui uerba integra habebat, lectiones descripsit corruptas, illum ueras lectiones exscripsisse. Vbi igitur codex Matritensis habet lectionem corruptam, quam librarii, qui codicis quem descripsit litterarum ductus non satis diligenter dinouit, culpa ortam esse apparet, nota A autem lectionem ueram praebet, uetamur opinari Politianum coniecturam adnotauisse. Quem errorem praecipue Goetzius p. VII commisit, qui, si ea quae ille protulit accurate consideramus, ubicumque lectio A uera est, codicum lectio falsa, notam A coniectura ortam esse opinatus est. Quam ob causam iam Skutschius p. 476 illum merito reprehendit.

Illas notas A, quae uerae sunt lectiones, cum Matritensis falsas lectiones praebeat, primum propono additis editionis principis lectionibus uncis seclusis et codicis Matritensis lectionibus:

I praef. 20 Quamti meo A (Q{uam}uis in meone) quamı meone M

Vel haec prima nota admonet, ne notas A a Matritensi

recedentes, quae ueras praebent lectiones, coniectura ortas esse existimemus. Siquis enim huius notae uerba coniecturam esse suspicatur, prorsus refellitur Politiani ipsius testimonio. Hic enim non simpliciter scripsit 'Quam timeo', sed primum scripsit 'Quamvi', tum 'v' mutauit in 't'. Vnde uidemus haec uerba in Poggii codice ita scripta fuisse, ut litterae 'ti' multo facilius 'u' possent legi. Eadem re Matritensis librarium in errorem inductum esse liquet. Cum enim has litteras dinoscere nequiret, satis habuit hastas numerasse atque in perscribendi negotio ita errauit, ut una hasta omissa scriberet 'quamı' pro 'quamti'. Itaque cum Politiani nota non aliunde nisi e codicis Matritensis exemplari manauerit, monemur, ut illud, quod supra statuimus Politianum codicis lectionibus coniecturas non immiscuisse, praecipue in iis notis A consideremus, quae a Matritensi recedunt. Sed iam pergamus notas A, quae Matritensi codice falsas lectiones exhibente ueras lectiones praebent, proferre:

I 1, 56 ınsessaque A (uisessaque)	uıs essaque M
I 1, 73 trepidās A (tepidus)	trepidas M
I 2, 204 Amnis A (Annus)	Annus M
I 2, 215 pelea A (pellea)	palea M
I 2, 273 at A (ac)	ac M
I 3, 27 Sestiacos A (Sesiacos)	Sesciacos M
I 3, 35 Auratasne A (Auratasque)	Auratasue M
I 3, 71 arcano A (archana)	artano M
I 3, 94 gargetius A (carthetius)	gargeticus M
I 3, 102 tollas A (tollis)	tollis M
I 4, 29 Quom A (Qui)	Cui M
I 4, 29 seu quom A (sequam)	seu quam M
I 4, 94 Hunc A (Nunc)	Nunc M
II praef. 15 indico A (iudico)	I udico M
II 1, 38 limine A (lumine)	lumine M
II 1, 58 tumentem A (timentem)	timentem M
II 1, 188 ascendisse A (accendisse)	accendisse M
II 2, 60 Methy̆mnęi A (mytilenei)	me tymnei M
II 3, 26 Decrescet A (Decrescit)	Decrescit M

II 3, 77 reuirescet **A** (reuirescit)	reuiresset **M**
II 4, 33 at **A** (ac)	ac **M**
II 5, 16 At **A** (Ac)	Ac **M**
II 6, 10 urse **A** (et se)	ut se **M**
II 6, 103 fileton **A** (pyleton)	pileton **M**
II 7, 112 elisii **A** (helisiis)	helisii **M**
III praef. 23 earinus **A** (Iearinus)	Ierinus **M**
III 1, 16 Ditauit **A** (Dictauit)	Ditasit **M**
III 1, 60 hecateidas **A** (hecateias)	echateidas **M**
III 1, 72 ac **A** (&)	at **M**
III 1, 111 exesus **A** (exeuus)	exeuus **M**
III 1, 182 argos **A** (argus)	argus **M**
III 2, 4 lenis **A** (leuis)	leuis **M**
III 2, 109 coherceat **A** (coherceret)	coercent **M**
III 2, 134 Incumbes **A** (Incumbens)	Incumbens **M**
III 3, 40 gemuı **A** (geminū)	gemini **M**
III 3, 66 tybereia **A** (tymbreia)	thybereia **M**
III 3, 201 cerę **A** (terrę)	c&r& *et* cetret *in mg.* **M**
III 4 tit. Earini **A** (*alius titulus*)	IERINI **M**
III 4, 9 fratris **A** (fratres)	fratres **M**
III 4, 21 idalios **A** (illiados)	id alios **M**
III 4, 99 At **A** (Ac)	Ac **M**
III 4, 103 oro **A** (ore)	ore **M**
III 5, 48 melibęa **A** (melibea)	melibia **M**
IV praef. 16 septimiū **A** (septimū)	septimum **M**
IV praef. 39 sphęro machias **A** (spero ĩachias)	sphero machias **M**
IV 3, 36 At **A** (Et)	Ac **M**
IV 3, 74 Et **A** (In)	It **M**
IV 3, 114 imo ł uno **A** (imo)	uno **M**
IV 4 tit. Ma{r}cellum **A** (*alius tit.*)	MARCILLUM **M**
IV 4, 22 Ingenii ne **A** (Ingenii ue)	Ingeniiue **M**
IV 6, 81 comes ire **A** (romis ipse)	comis ire **M**
IV 6, 82 arces **A** (artes)	artes **M**
IV 6, 85 ęre **A** (ęra)	aera **M**
IV 6, 86 Egregio **A** (Egregia)	Egregia **M**
IV 9, 30 Bulborum **A** (Pullorum)	Bullorum **M**

V 1 tit. Epicedion A (*alius titulus*)	EPYCEDION M
V 1, 4 meretur A (merentem)	moretur M
V 1, 15 haut A (aut)	aut M
V 1, 123 parci A (parti)	parti M
V 2, 114 Qua A (Qui)	Qui M
V 2, 117 dictis A (discis)	distis M
V 2, 133 ne A (ue)	ue M
V 2, 134 aruis A (armis)	armis M
V 2, 157 hęc A (&)	et M
V 2, 175 Uade A (Unde)	Vnde M
V 3, 12 corda A (uota)	carda M
V 3, 277 aetneaque A (aethneaque)	aecneaque M
V 3, 280 Centauros A (Centaurus)	Centaurus M
V 5, 51 uox A (nox)	nox M
V 5, 63 Flumina A (Fulmina)	Fulmina M

Addo locos, quibus notae A non prorsus ueram praebent lectionem, sed ueriorem quam Matritensis:

I 2, 103 Finis erat A (Dempserat)	Emis erat M
II 7, 96 prementis A (potentis)	praementis M
III 4, 40 lamius A (lanius)	lamus M

Omnes hae lectiones A cur a Matritensi discrepent, e codicis Poggiani scriptura uel interdum e Matritensis librarii more explicatur. Quas postquam proposui, tres notae mihi sunt afferendae, quae, quod a Matritensi recedentes ueras lectiones praebent, dubitationem mouere possunt:

I 4, 112 arte A (aste)	aste M
II 2, 148 uertere A (uescere)	uescere M
IV 4, 63 datur A (decus)	datus M

Quibus locis Matritensis perperam praebet litteram 's', A autem recte 'r'. Has autem litteras 's' et 'r' cum non nisi in uetusta scriptura ita scribi solitas esse, ut inter se commutari possent, supra (p. 15 sq.) uiderimus, potest quis contendere has tres notas A non e Poggii codice manasse, sed coniectura effectas esse. Neque uero est, quod hoc putemus; nam codicis Poggiani librarius eadem ratione qua V 3, 219 τuus de libro uetusto prope Constantiam reperto depinxit, etiam his locis

litteram r, cum, quaenam esset, discernere nequiret, ita depinxisse potest, ut Matritensis librarius 's', Politianus autem 'r' in libro Poggiano legeret.

Omnes notae **A** a Matritensi recedentes, quas adhuc proposui, ueriores praebent lectiones quam Matritensis. Sed sunt quoque notae **A**, quae corruptas exhibent lectiones, quas Matritensis non corruptas praebere uidetur:

I 2, 36 saciare **A** (*in* a *uersus deest*)	satiare **M**
I 2, 99 myrtho **A** (quercu)	myrto **M**
II 6, 56 siuit **A** (sinit)	sinit **M**
II 6, 81 Fylete **A** (pylete)	Philete **M**
III 1, 41 thyasis **A** (thiasis)	thiasis **M**
III 2, 92 Chimeriumque **A** (Cimeriumque)	Cimmeriumque **M**
III 5, 98 sic **A** (sed)	sit **M**
IV 9, 10 cineis **A** (tineis)	tineis **M**
V 1, 35 exsaciata **A** (exsicca)	exsatiata **M**
V 1, 66 uatasset **A** (natasset)	uacasset **M**
V 1, 164 Lumina **A** (Lumina)	limina **M**
V 1, 214 cynireaque **A** (cymeraque)	Cinyreaque **M**
V 3, 64 et habena **A** (ęquaena)	et aena **M**

Quae lectiones **A** cum omnes eisdem litterarum permutationibus laborent, quibus in codice Matritensi sescenties corruptelae ansam datam esse uidimus codicis Poggiani scriptura effectam, Politianum notas, quales exscripsit, in libro Poggiano legisse apertum est. Atque cum omnes hae Matritensis lectiones quas apposui, in uerborum contextu, non in apparatu critico Klotzii occurrant (V 1, 66 exc.), Matritensem illis locis fere omnibus easdem quas notas **A** corruptelas habere suspicor, praesertim cum Klotzius non omnes eiusmodi minutias in apparatu suo se posuisse ipse testetur (cf. p. LXXX). Apparet igitur ex his notis **A**, quanta diligentia Politianus in codicis lectionibus exscribendis usus sit et quantopere cauerit, ne quid praeter codicem mutaret.

Quod cum ita sit, mirum esse nequit quod nonnullis locis, quibus in Matritensi paucae litterae desunt, in Politiani notis **A** hae litterae exstant:

I praef. 10 .n. (= *enim*) o . . . . . . quoque **A** (.n. . . . . quoque)	enim . . . . quoque **M**
I 2, 221 mouet hic **A** (*om.*)	hic (*omisso* mouet) **M**
I 4, 13 noster **A** (nos te)	noste **M**
III 1, 94 imitantia **A** (micantia)	mitantia **M**
III 5, 90 Templaque et **A** (Templaque que)	Templaque **M**
IV 3, 104 ipsos **A** (ipso)	ipso **M**
IV 6, 52 tegeea **A** (tegea)	tegea **M**
IV 6, 65 acies **A** (acies)	acie **M**
IV 6, 83 sagunti **A** (tonantis)	sgunti **M**
IV 8, 50 actea **A** (acea)	acea **M**

In libris enim describendis cum nihil facilius fieri notum sit, nisi ut litterae omittantur, manifestum est Matritensis librarium illas litteras sua culpa omisisse, Politianum autem eas in libro Poggiano repperisse. Atque nonnullis illorum locorum ipsius Poggiani codicis condicione uidetur factum esse, ut Matritensis librarius litteras non uideret, quas Politianus dinouit. Velut I praef. 10 littera 'o', quam Politianus e codice rettulit[1]), uidetur macula ita obtecta fuisse, ut Matritensis librarius dinoscere nequiret, Politianus autem etsi non reliquas quoque litteras tamen hanc saltem dispiceret. Item IV 6, 65 quod Politianus uerbi typis expressi litteram 's', quae in Matritensi quoque deest, primum notarum **A*** atramento deleuit, tum 's' eodem atramento suprascripsit, documento est illam litteram 's' in Poggii codice ita scriptam fuisse, ut, siquis non accuratissime animum aduerteret, eum fugeret. Improbo igitur Skutschii p. 471 et Krohnii ap. Vollm. p. 43 explicationes, qui in Poggii libro 's' litteram non adscriptam sed suprascriptam fuisse Politianum testari coniecerunt.

Tum afferendae sunt paucae notae **A**, quae litteras, quas Matritensis librarius per errorem addidit, non exhibent:

I 1, 10 Ide **A** (Ida)	iden **M**
I 2, 131 daphne **A** (daphnes)	dafnes **M**

1) quam alia manus, non Politiani, suppleuit additis litteris 'portet huius'. non uera Vollmer in apparatu critico rettulit.

II 1, 145 e **A** (&)	et **M**
V 2, 166 cingique **A** (cing&que)	cingitque **M**

Quas lectiones **A** coniectura ortas esse ne putemus, quantopere cauendum sit, uel ex prima hac nota (I 1, 10) intellegimus. Littera 'n' enim, quae in codice Matritensi legitur, certe ipsius Matritensis librarii culpa per dittographiam orta est, quippe qui loco proximo 'Nunc' falso scripserit pro 'Hunc'. Itaque reliquis quoque his locis menda, quae in Matritensi sunt, ipsi Matritensis librario deberi consentaneum est.

Tot igitur lectiones, quae in codice Poggiano integrae exstabant, cum librarius Matritensis, qua erat ignorantia, adeo corruperit, ut eas non saluas esse nemo non uideat, Politianus autem integras, ut in codice repperit, descripserit, mirum non est, quod in Matritensi etiam lectiones exstant, quibus primo saltem obtutu nemo offenditur, pro quibus tamen Politianus alias exscripsit. Atque cum opinionem istam, qua eiusmodi locis coniecturae subesse putantur, longissime remouendam esse ex multis illis, quas proposui, lectionibus **A** a Matritensi discrepantibus intellexerimus, quia Politianus uir ille doctissimus in singulis lectionibus exscribendis multo minus facile errare potuit quam librarius iste indoctissimus in toto codice describendo, eis locis, quibus et Politianus et Matritensis lectiones per se probabiles praebent inter se diuersas, Politiano maior fides habenda est.

Iam affero locos illos, quibus, quamquam Matritensis habet lectiones, quae ueri speciem prae se ferunt, Politianus alias rettulit lectiones:

I 2, 276 uirides **A** (uiridis)	uiridis **M**
I 3, 41 tuta **A** (tota)	tota **M**
II praef. 35 Sī minus **A** (Summi)	si minus **M**
II 2, 142 demitte **A** (dimitte)	dimittere **M**
II 6 tit. ⟨cons⟩olacio ad flauiū ursū **A** (*longe dist. tit.*)	
CONSOLACIO AD FLAVIVM · VRSVM | DI (*atr.* E) AMISSIONE PVERI DELICATI	**M**
III 3, 47 famulatur **A** (simulantur)	famulantur **M**
V 1, 181 mestos **A** (noctis)	mostis **M**

V 2, 141 Accipiet A (Aspiciat) Accipiat M
V 3, 237 limice uersus A (lumine rursus) limite cursus M

His addo duas notas A, quae a Matritensi recedunt, cuius lectiones solas si respicimus, dubium esse potest, quidnam sit restituendum:

III 5, 21 inpenetrabile A (haud penetrabile) ut penetrabile M
V 5, 83 destra A (nostra) uestra M

Omnes discrepantiae, quae inter has notas A et Matritensis codicis lectiones intercedunt, tales sunt, quales e codicis Poggiani litterarum ductibus oriri potuerunt (exc. scilicet II 6 tit., ubi Matritensis plura habet uerba quam Politianus rettulit). Itaque hac quoque de causa has notas A non aliunde nisi e Poggii codice manasse manifestum est.

Sed ut uideamus, quanti sint pretii lectiones illae Politiani merito memoriae traditae, de his notis A mihi est accuratius agendum.

Ac primum quidem I 2, 276 secundum Matritensis auctoritatem Statius optat, ut Violentillae uultus longe perdurent flore uiridis iuuentae. Quae cum accurate pendimus, non possumus non mirari uerba 'longe perdurent uultus'. Etenim uita uel simile quid ut longe perduret, uel ut pulchri uultus longe perdurent, potest quis optare, sed quid sibi uelit, quod poeta uultus longe perdurare cupit, non intellego. Atque 'uultus' si coniungis cum 'uiridis iuuentae', haec exoritur difficultas, quod 'flore' cum 'perdurent' haud facile potest coniungi. Itaque nihil potest uerum esse nisi lectio a Politiano tradita 'longe u i r i d e s — perdurent u u l t u s'. Optat igitur poeta, ut Violentillae uultus diu maneant i u u e n i l e s. Qui sensus adiectiuo 'uiridis' haud raro subest, cf. Bluemner 'Die Farbenbezeichnungen bei den röm. Dichtern' Berolini 1892 p. 216. Nec solum de uerbis abstractis uelut 'anni', 'iuuentus', sim., usurpatur, ut Stat. Silu. V 2, 152 'felix, qui uiridi fidens, Optate, iuuenta', sed etiam de corporis partibus hunc in sensum dicitur:

'Stat. Silu. III 3, 124 — si longa dies, si cernere uultus
natorum u i r i d i s q u e g e n a s tibi iusta dedissent
stamina!'

Stat. Theb. VI 199 'Si pariter uirides nati libare dedisses
Ad tua templa genas'

ibid. VI 714 'Consedit uiridesque umeros et opaca theatri
Culmina ceu latae tremefecit mole ruinae'.

Itaque quin lectio A 'uirides' e codice Poggii descripta sit, dubium non est.

I 3, 41 Statius Vopisci uillam praedicat, ubi hic quiete fruatur. Haec quies secundum Matritensem 'tota' est, quam lectionem editores receperunt. Sed 'totus' cum partium plenitudinem, ut Forcellini uerbis utar, significet aduersus singulas partes, Statius autem quietem certe integram, non turbatam nominare uoluerit, qui sensus uerbo 'totus' non est (cf. Krebs-Allgayer 'Antibarbarus der latein. Sprache' 1876 p. 1145), atque cum Matritensis librarium litteras 'o' et 'u' interdum inter se confudisse p. 20 uiderimus, lectio A autem 'tuta' quin ad hunc locum optime quadret, dubium non sit, non est cur Politiano non credamus hanc lectionem 'tuta' in Poggii codice exstitisse.

II praef. 35 Matritensis habet 'si minus', nota A autem 'Sī minus'. Vtra lectio uera sit, cum e re ipsa diiudicari nequeat, Statii usus sermonis attendendus est. IV praef. 45 Statium in simili enuntiatione 'sin minus' scripsisse et e Matritensis et e Politiani testimonio constat. Atque Matritensis librarium lineolam illam supra uocalem scriptam, qua litterae 'm' et 'n' indicari solebant, saepius neglexisse cum p. 20 uiderimus, non est, cur dubitemus, quin in Poggii codice scriptum fuerit 'Sī minus'. Itaque hoc quoque loco secundum Politiani testimonium legendum est 'sin minus'.

II 2, 142 Matritensis exhibet 'dimittere', Politianus autem inscripsit notam A 'demitte'. Infinitiuus cum ab hoc loco prorsus abhorreat, Matritensis librarius socordia captus litteras 're', quae in codice Poggiano non exstabant, addidisse uidetur. Quaeritur igitur, utrum 'dimitte' an 'demitte' uerior sit lectio. 'demittere' est ex superiore loco in inferiorem mittere, id quod Marklandus ad h. l. recte monuit. Hoc autem loco Statius Pollium monet, ne uitae puppim, quae iam securos

portus intrarit, in procellas, quibus alii homines iactentur, mittat. Monet igitur Pollium, ne puppim e portu in medium mare mittat. Medium autem mare Romani altius quam terram cogitarunt, id quod et inde manifesto apparet, quod medium mare semper 'altum' uocarunt, et egregie illustratur his Vergilii uersibus (Aen. V 28 sqq.):

'an sit mihi gratior ulla
quoue magis fessas optem demittere nauis
quam quae Dardanium tellus mihi seruat Acesten'.

Vnde apparet poetam de puppi in altum mare mittenda dicturum uerbo demittendi uti non potuisse. 'dimittere' autem ad hunc locum bene quadrat, quippe quo uerbo, ut Vollmer p. 353/4 rectissime explicauit, diuersae partes, quas hominum studia petunt, aptissime indicentur. Itaque hoc quidem loco Matritensis testimonium sequi malo. Neque uero est, quod Politianum hanc lectionem e codice Poggiano descripsisse negemus, quam ad opinionem facile quis eo perduci potest, quod in Domitiana quoque editione eadem lectio 'demitte' legitur. Nam cum Matritensis librarius ipse quasi testatus sit (cf. p. 19 et 21) litteras 'e' et 'i' in libro Poggiano tam similes fuisse, ut interdum uix possent discerni, facile potuit fieri, ut Politianus hoc loco 'e', librarius Matritensis autem 'i' dinosceret. Omnino hac occasione oblata hoc monuerim, etiamsi in uniuersum Politiano maior certe fides est habenda, tamen, ubicumque discrepantias, quae inter Matritensem et notam A aliquam intercedunt, e libri Poggiani litterarum ductu oriundas esse apertum est, Politiani notas nequaquam ideo, quod sunt Politiani, pro poetae uerbis habendas esse, sed semper diligenter esse examinandum, utra lectio maiorem ueri speciem prae se ferat. Quoniam enim in libro Poggiano litterarum formas persaepe admodum ambiguas fuisse uidimus, facile potuit fieri, ut Politianus e litterarum ductibus in Poggii codice scriptis lectionem erueret quae ipsi magis placebat, librarius Matritensis autem ex eisdem litterarum ductibus aliam dispiceret, quam nos ueriorem esse intellegimus. Itaque siqua forte lectio A Matritensis codicis lectioni praeferenda

mihi uidetur, quam tu non probas, hoc nequaquam est impedimento, quominus notam ex codice Poggiano Politianum descripsisse consentientes credamus.

Alterius libri carminis sexti titulus secundum notam A est ‘consolacio ad flauiū ursū’, Matritensis autem non solum haec, sed plura uerba exhibet ‘DI (*atr.* E) AMISSIONE PVERI DELICATI.’ Atque reliquos Siluarum titulos cum comparamus, uidemus, quam uera Politianus memoriae tradiderit, quem, nequis forte uerba cum margine recisa perisse arbitretur, nihil amplius adscripsisse pro certo affirmo. In nullo enim aliorum titulorum eiusmodi additamentum exstat, quale Matritensis praebet. Velut III 3 habet titulum ‘Consolatio ad Claudium Etruscum’, IV 2 ‘Eucharisticon ad Imp. Aug. Germ. Domitianum’, sed, quanam de re agatur, nullo huius modi titulorum dicitur. Itaque cognoscitur additamentum, quod hoc loco in Matritensi est, eadem ratione qua alia interpretamenta, quae in hoc codice inesse uidimus, in Matritensem inrepsisse, in Poggiano autem libro nihil scriptum fuisse nisi ‘consolacio ad flauiū ursū.’

III 3, 47 lectio A est ‘famulatur’, Matritensis autem exhibet ‘famulantur.’ Eiusmodi ‘n’ in Matritensi non minus saepe perperam additam quam omissam inueniri cum p. 20 uiderimus, atque cum ‘famulatur’ ad hunc locum non minus bene quadret quam ‘famulantur’, non est, cur de Politiani testimonio dubitemus.

V 1, 181 Matritensis habet lectionem corruptam ‘mostis’, Politianus autem adscripsit lectionem A ‘mestos.’ Quod uocabulum Skutschius l. l. p. 475 uerum esse negauit, quia ‘maestos’ prolepsi satis inepta dictum esset. Hoc autem Skutschii argumentum nihili est, quod thalamos tum cum Priscilla haec uerba loquitur iam maestos esse et e uu. 162 sqq. apparet et ex ipsius Priscillae uerbis (u. 179 sq.)

‘parce, precor, lacrimis, saeuo ne concute planctu
pectora, nec crucia fugientem coniugis umbram.’

Atque quam falso Skutschius lectionem A reiecerit, etiam ex ea lectione, quam ipse proposuit uir doctus, elucet. Ex

Matritensis enim lectione 'mostis' facile restituitur 'mortis', quam coniecturam primus Imhofius 'De Silu. Stat. cond. crit.' Halis Sax. 1859 p. 19 e cod. Par. protulit; idemque Polster 'Quaestionum Statianarum part. III' (Ostrowo 1884) p. 10 sq. et Skutschius l. s. coniecerunt. Atque eandem lectionem et Vollmer et Klotzius in uerborum contextum receperunt. Sed falsa est haec coniectura. Etenim si legitur 'saluo tamen ordine mortis', uerba quae sequuntur 'quod prior' sensu carent neque perspici potest, ad quaenam uerba sint referenda, id quod Wachsmuthius suo iure mihi persuasit. Namque idem sensus atque uerbis 'maior natu' uerbo 'prior' esse non potest, quia, ut Wachsmuthius merito me monuit, uerbis 'quod prior' idem, quod uerbis 'saluo ordine mortis' satis exquisite dictum foret, repeteretur uerbis ad prosam orationem proxime accedentibus. At optimus uerbis 'quod prior' subest sensus et aptissimum in hac enuntiatione exstat uocabulum, ad quod illa sint referenda, si lectionem a Politiano relatam recipimus. Referenda enim sunt ad 'maestos' et mente est supplendum 'linquo thalamos' uel 'morior'.

V 2, 141 nota A est 'Accipiet', Matritensis habet 'Accipiat'. Vtraque lectio per se cum ferri possit, lectio 'Accipiet' in libro Poggiano fuisse uidetur. Quoniam enim litteras 'a' et 'e' in codice Matritensi saepe commutatas inueniri p. 17 uidimus, atque harum litterarum commutatio nulla alia scriptura facilius effici potuerit nisi Gothica, qua codicis Matritensis exemplar exaratum fuit, hoc quoque loco Matritensis librarium sua culpa 'a' pro 'e' scripsisse putauerim.

V 3, 237 Politianus longe aliam lectionem A inscripsit atque Matritensis exhibet. Rettulit enim 'limice uersus', Matritensis autem habet 'limite cursus'. Vtramque lectionem ex eodem litterarum ductu oriri potuisse nemo negabit. Quaeritur igitur, utra lectio uera sit. Lectio 'cursus', si nihil aliud traditum esset, ferri posset, quia ad huius loci uerba satis apta est. Sed cum totum sententiarum conexum examinamus, lectionem 'uersus' aliquanto melius quadrare intellegimus. In iis enim, quae praecedunt, Statius patrem suum,

cuius mortem hoc carmine queritur, praedicat, quod cantus suos stimulare sibique, quomodo facta heroum bellique modi positusque locorum pandendi sint, monstrare solitus sit. Quodsi pergit poeta 'labat incerto mihi limite uersus', hoc ad ea quae praecedunt, imprimis ad 'tu cantus stimulare meos', multo melius quadrat quam 'cursus', quo uocabulo transitus satis abruptus efficeretur. Atque post hanc imaginem 'labat incerto mihi limite uersus', quae e re ipsa est petita, multo exquisitius poeta hanc generalem addit imaginem 'et orbatae caligant uela carinae' quam ad imaginem 'labat incerto mihi limite cursus', quae ipsa quoque generalis est. Itaque lectione A recepta cum sententiarum conexus multo melius currat, quin 'limice uersus' Politianus recte e Poggii codice descripserit, mihi quidem dubium non est.

III 5, 21 Matritensis habet lectionem aperte corruptam 'ut penetrabile', Politianus lectionem A 'inpenetrabile' inscripsit. Hoc loco Klotzius, quod Domitii coniecturam 'haut penetrabile' in uerborum contextum recepit, erroris manifestissimi reus est. Etenim tales commutationes qualem 'ut' pro 'in' cum Matritensis librarius sescenties commiserit (cf. p. 11 sq.), uel e Matritensis lectione apparet legendum esse 'inpenetrabile', quod cur cum Vollmero in 'impenetrabile' mutemus, non est[1]. Hanc igitur notam A e Poggii codice descriptam esse consentaneum est.

V 5, 83 Matritensis exhibet 'uestra', Politianus autem notam A inscripsit 'destra', quam non aliunde nisi e Poggii codice descriptam esse e corrupta lectionis natura apparet. Atque cum ne Matritensis quidem lectionem ueram esse pateat, quaeritur quid sit scribendum. Atque Krohnius e Matritensis lectione coniecit 'nostra', quae lectio tam superuacua est, ut ferri nequeat. Ex nota A autem facile restituitur lectio 'dextra', qua melior huic loco excogitari nequit. Apparet igitur lectionem 'destra' in Poggii codice exstitisse, atque Matritensis librarium 'u' pro 'd' legisse, id quod codicis Poggiani scriptura facile potuit fieri.

---

1) cf. R. Kühner 'Grammatik der latein. Sprache' 1877 I p. 624.

Iam afferenda mihi est nota A, quae mirum in modum a cetera memoria scripta recedit. II 7 tit. enim et Laurentianus codex et Matritensis habent 'ad Oppiam', Politianus autem notarum A* atramento adscripsit 'ad pollam', quae lectio unice uera est. Vbicumque enim uxor Lucani memoratur, 'Polla' nominatur. Statius enim ipse in hoc carmine II 7 bis (uu. 62 et 120) eam appellat 'Pollam', II praef. 30 eam nominat 'Pollam Argentariam'. Atque Martialis in epigrammatis ter illius facit mentionem neque alio nomine utitur nisi 'Pollae' (VII 21 et 23, X 64). De 'Oppiae' autem cognomine prorsus nihil traditum est. Qua de causa uel Klotzius reclamantibus ambobus libris manu scriptis 'Pollam' pro 'Oppiam' in tituli contextum recepit. Quaerentibus autem nobis, utrum haec lectio uerissima a Politiano e codice Poggiano descripta sit an excogitata, considerandum est facillime fieri potuisse, ut carminis, quod secretum a ceteris eclogis una cum aliis rebus in codicem receptum est, titulus quapiam de causa mutaretur, multo autem minus facile potuisse fieri, ut quis in codice omnes Siluas continente eclogae alicuius tituli nomen aliquod mutaret in aliud nomen, quod neque traditum est neque coniectura inueniri potuit. Itaque ueri est simillimum Laurentiani codicis librarii culpa factum esse, ut nomen 'Oppiam' pro 'Pollam' in titulum inreperet. Atque quod illud nomen Matritensis quoque exhibet, haud facile aliter melius explicatur nisi eo, ut Baehrensium (cf. app. crit. edit. Baehr.) secuti coniciamus ex ipso Laurentiano codice nomen 'Oppiam' in Matritensem immigrasse. Matritensis autem librarius cum multo indoctior fuerit, quam ut ipse alium codicem in exarandi negotio consuleret, equidem putauerim illum, qui Matritensem codicem scribi iussit, in Laurentianum librum incidisse et ex eo, quippe qui uetustatis dignitatem prae se ferret, titulum in nouum codicem, quem scribi iussit, recipiendum curasse, neglecto titulo qui in Matritensis codicis exemplari legebatur. In quo 'Pollam', non 'Oppiam' scriptum fuisse alia quoque ex causa apparet. Politianus enim in iis, quae de uetusto codice (nunc Laurentiano) a se collato ad II 7 adscripsit, cum alia dixit

tum haec 'erat ıscriptio *τοῦ γραφέως* (*ut uid.*, *cf. p. 122*) Genethliacon lucani adoppiam'. Quod non adscripsisset, nisi in Poggii codice, quem una cum Laurentiano contulit (cf. p. 101), alium titulum inuenisset, h. e. eundem quem notarum A* atramento adscripsit. Ceterum quod Skutschius l. l. p. 476 Baehrensium impugnans dixit Laurentianum codicem ad 'codicis Sangallensis apographon' emendandum adhibitum esse ea de causa prorsus non esse probabile, quod codicem Iuni Nypsi carmen Statianum continere nemo suspicaturus esset, nihili est, quoniam Politianus in illo Nypsi codice Statii carmen inuenit. Immo, fortasse illius uiri docti, qui Laurentianum in Poggii codice describendo adhibendum curauit, merito factum est, ut ille uetustus codex Laurentianus in Politiani manus incideret. Quapropter non est, quod putemus hanc lectionem A tam uehementer a ceteris codicibus recedentem e Poggiano codice non esse descriptam.

Tum mihi sunt afferendae tres notae A, quae corruptas praebent lectiones, cum Matritensis alias lectiones habeat, quae ueri speciem prae se ferunt:

II 1 tit. dedacatus[1]) A (*om.*)	delicatus **M**
III 1, 145 hercẽ A (arcent)	haerent **M**
IV 6, 57 celis A (setis)	sedis **M**

His notis A quid faciam, non uideo. Sed cum coniectura eas effectas non esse apertum sit, quin e codice Poggiano a Politiano sint descriptae, dubium non est. Itaque hae quoque notae A ad Statii uerba restituenda adhibendae sunt.

Postquam igitur satis multis locis librum Poggianum alia uocabula, atque in Matritensi leguntur, habuisse uidimus, aliquot notae A mihi sunt afferendae, quae aliam uerborum orthographiam praebent atque Matritensis exhibet.

Ac primum quidem I 1 tit. Matritensis habet 'ECVS', nota A 'EQVS'. Atque, postquam Augusti aetate 'c' pro 'qu' scribi solita est, quoniam primo p. Chr. n. saeculo grammatici 'qu' restituerunt (cf. Lindsay-Nohl 'Die lat. Sprache'

1) in prima 'a' non prorsus certa uid. 'ı' inscr. A. cf. quae ad II 7, 49 e Laurentiano rettulit Politianus.

1897 p. 99), et Probus p. 119, 4 (Keil) scribendum esse dicit 'equs et equus', alio loco (app. p. 197, 30 Keil) 'equs non ecus' (cf. Vollmer p. 215, Klotz p. LXXXI), multo ueri est similius 'EQVS' Statium scripsisse quam 'ECVS'. Itaque quin in Poggii codice 'EQVS' scriptum fuerit, non est cur dubitemus.

I 1, 103 Politianus editionis principis lectionem 'tonans' mutauit in 'taras', Matritensis autem habet 'tarans'. Hoc nomen est Graecum 'Τάρας' et uno etiam litterarum Latinarum loco, nisi lexica nos fallunt, occurrit, Lucan. V 376, ubi traditum est 'Taras'. Atque cum Matritensis librarium litteram 'n' in mediis uocabulis saepe et omisisse et perperam addidisse uiderimus, lectionem 'taras', quam Politianus in librum Corsinianum rettulit, in Poggii codice scriptam fuisse elucet.

I 2 tit. Matritensis habet 'EPITHALAMION', nota **A** 'Epithalamium'. Omnes alii huius modi tituli cum '-on' habeant (II 7 Genethliacon, III 2 Propempticon, IV 2 Eucharisticon, V 1, V 3, V 5 Epicedion), hoc quoque loco '-on' uerum esse apparet (cf. Klotz 'Quaest. Stat.' p. 51). Nota **A** igitur hoc loco non ueram praebet lectionem. Attamen non est, cur Politianum lectionem 'Epithalamium' ipsum sibi finxisse putemus. Nam in scriptura Gothica facillime fieri potest, ut '-mium' legatur pro '-mion'. Neque quisquam opponat in libro Poggiano titulos litteris maiusculis scriptos fuisse uideri. Quoniam enim Politianus carminum I 1 et I 4 titulos maiusculis litteris scripsit, omnes alios autem minusculis, ueri est simile in Poggii libro nequaquam omnes titulos maiusculis litteris, ut in Matritensi, exaratos fuisse.

I 4 tit. Politianus inscripsit 'RVTILII', Matritensis habet 'RVTVLI'. Matritensis lectio cum aperte sit corrupta, quaeritur, utrum 'RVTILII' an 'RVTILI' in Poggii libro fuerit. Alii huius modi tituli omnes habent '-ii': I 3 Manilii, I 5 Claudii, II 1 Atedii, II 2 Pollii, II 3 Atedii, III 1 Pollii. Solum III 4 et Politiano et Matritensi testibus habet 'Flaui'. Itaque non uideo, cur corruptae Matritensis lectioni maiorem fidem habeamus quam Politiano. Apparet igitur in Poggii libro scriptum fuisse 'RVTILII'. Eadem de causa V 2 tit. 'uectii'

uel 'uettii' lectionem A, non Matritensis lectionem 'VETTI' et IV 6 tit. lectionem A 'nouii', non codicis Matritensis lectionem 'NOVI' in libro Poggiano fuisse manifestum est.

I 4, 121 Matritensis habet 'cumba', nota A 'Cÿmba'. Illam lectionem 'cumba' in plerisque optimis codicibus legi Georges testatur. Sed hoc uocabulum cum sit Graecum (κύμβη), cumque Statius, id quod imprimis Klotzius 'Quaest. Stat.' p. 51 sqq. docuit, non solum Graeca uocabula sed etiam Graecas uocabulorum formas adamarit, quin etiam Sullae nomen scripserit 'Syllae' (IV 6, 86 et 107), uel per se multo ueri est similius 'Cymba' Statium scripsisse quam 'cumba'. Vides igitur, quanta fide Politianus lectiones e codice Poggiano descripserit.

Quae cum ita sint, II 2, 136 quoque iuste Politiano maiorem habebimus fidem, qui rettulit 'ascite', quam Matritensis librario, qui 'adscite' scripsit. Talibus enim in rebus librarii summa licentia usi sunt.

III 1, 120 nota A est 'humida', Matritensis habet 'umida', itemque III 1, 145 nota A praebet 'humentibus', Matritensis 'umentibus'. Librarium codicis Matritensis in littera 'h' in uocabulorum initiis et omittenda et addenda se neglegentissimum fuisse quasi ipsum testatum esse cum p. 20 sq. uiderimus, cumque II 3, 55 'humeris' in libro Poggiano fuisse Politianus diserte testatus sit, ubi Matritensis librarius 'umeris' scripsit, quin Politianus 'humida' et 'humentibus' in Poggii libro inuenerit, dubium non est.

III 2, 30 Matritensis habet 'molorchos', nota A 'molorcus'. Litteram 'h' in mediis quoque uocabulis in Matritensi et omissam et perperam additam occurrere cum p. 20 uiderimus, id quod Matritensis librarii, quippe qui in uocabulorum initiis 'h' tam neglegenter tractarit, culpae tribuendum esse ueri est simile, et cum litteras 'u' et 'o' in Matritensi saepius inter se commutatae inueniantur, non est cur 'molorcus' in Poggii codice scriptum fuisse negemus[1].

---

1) Quamquam, quidnam Statius scripserit, difficillimum est exploratu. Certe uero omnes coniecturae, quas adhuc uiri docti excogitarunt, falsae sunt. Sed de hac re accuratius agere hoc quidem loco meum non est.

Eadem de causa non est, cur dubitemus, quin IV 4, 73 lectio A 'auus', pro qua Matritensis habet 'auos', in codice Poggiano exstiterit, praesertim cum non sit perspiciendum, quanam causa Statius commotus esse possit, ut hoc loco uetustissima illa forma 'auos', quam alibi, ni fallor, non usurpauit, uteretur.

II praef. tit. Politianus rettulit 'Statius Meliori suo sal.', Matritensis habet 'STATIVS MELIORI SVO SALVTEM'. Librarius Matritensis cum scire potuerit 'sal.' esse 'salutem', facile potuit fieri, ut pro lectione 'sal.' in libro Poggiano exarata scriberet 'SALVTEM'. Sed huius modi rem nemo premet.

Denique nota A mihi est afferenda, in qua inscribenda Politianum errasse apertum est. IV 9 tit. enim adscripsit 'Endecasÿllabi iocosi ad plociū Grippū'. Cuius notae prima uerba cum eadem in Matritensi legantur, certe in Poggii libro ita ut Politianus rettulit scripta fuerunt, sed cum Matritensis habeat 'PLOTIV̄ GRYPVM' lectionem ueram, editionis principis titulo 'Plocio Grippo' Politianus uidetur in errorem inductus esse. Sed quoniam plures huius modi errores in notis A non exstant, neque quisquam mortalium interdum non errat, hoc errore Politiani fides nequaquam labefactatur. Etenim hunc quoque titulum, in quo inscribendo errauit Politianus, quin e Poggiano libro descripserit, nequaquam dubitabis.

Iam quoniam omnes notas A a Matritensi recedentes enumeraui atque ne unam quidem ex iis aliunde atque e codice Poggiano descriptam esse uidimus, de quodam Skutschii argumento, quod ille, ut notas A non omnes e Poggii codice haustas esse demonstraret, p. 477 protulit, nobis est agendum. Tres enim ille attulit locos I 4, 88, III 4, 70, V 3, 105, quibus Politianus non solum lectionem A* margini adscripsit sed etiam (eodem quo notas A* atramento) aliam lectionem nullo signo ornatam supra uerbum typis expressum addidit. Quas lectiones suprascriptas suas ipsius coniecturas esse Politianum quasi ipsum confiteri Skutschius arbitratur. Sed prorsus non est, quod hoc putemus.

Primum enim Politianus quod I 4, 88 'latea' uocabuli

litteras 'te' deleuit et 'ec' uel 'et' suprascripsit, unde 'laeca' uel potius 'laeta' efficitur, atque margini dextro adscripsit 'ī cō pog' lacera', testatus est hoc uocabulum in libro Poggiano ita scriptum fuisse, ut primum legeret 'laeta', tum 'lacera' dinosceret. Quod certissimum fit ex ipsius codicis Matritensis litterarum ductu. Ibi enim in hac, de qua agitur, uoce litterae 'et' compendio ita coniunctae sunt, ut Loewius 'lacera' legisse uideatur (cf. Klotz. p. LXXI). Atque hanc litterarum 'et' ligaturam cum non ipsius librarii Matritensis propriam, sed e libro Poggiano tralatam esse Klotzius p. X ostenderit, et ex codicis Matritensis et e Politiani testimonio efficitur in Poggii libro hanc uocem ita scriptam fuisse, ut et 'laeta' et 'lacera' legi posset.

Alter autem locus, quem Skutschius ad comprobandam sententiam suam attulit, V 3, 105, nihil ualet, quia Politianus non 'crimen' suprascripsit, quod Skutschius dicit, sed 'crimem'. Quam uocem ea de causa, quod se in scribendo errasse uidit, deleuit, et eam lectionem, quam iam primo loco scribere noluit, 'crinem', margini apposuit addito codicis Poggiani signo.

Grauissimum autem Skutschii exemplum est III 4, 70, ubi 'torpens' impressum Politianus deleuit et 'corpus' suprascripsit, margini autem adscripsit 'ī antiq° sic ē corpeus. c. cōpus'. Sed ne hic quidem locus ullius est momenti. I 3, 84 enim Politianus margini adscripsit '[co.pog] lucrinę' et uerbum typis expressum 'lacinięque' mutauit 'lucrinęque', III 3, 114 in margine scripsit 'sic vetus: vultibus et sibimet similis e. q. s.' et inter uerba impressa 'sibimet natorum' suprascripsit 'similis', V 2, 153 margini adscripsit '[antiq.] uallū' et 'illum' typis expressum deleuit atque 'uallū' suprascripsit. Simili ratione Politianus hoc loco ipsius coniecturam 'cōpus' postquam margini adscripsit, etiam supra uerbum typis expressum ea de causa scripsit, ut integrum uersum, qualis uerus sibi uideretur, ante oculos haberet. Atque illam lectionem 'corpus' cum semel signo coniecturae notasset, Politiano non erat, cur bis notaret. Videmus igitur hoc quoque Skutschii argumentum nihili esse.

Quoniam igitur prorsus nullum argumentum exstare uidimus, unde Politianum libri Poggiani collationem cum suis aliorumque coniecturis commiscuisse appareat, atque quoniam uel ex iis notis A, quae a Matritensi recedunt, ne unam quidem aliunde atque ex Poggii codice descriptam esse intelleximus, illud quod antea e compluribus certissimis argumentis statuimus omnes Politiani notas A codicis Poggiani lectiones esse, ab omni dubitatione remotum nobis constat. Itaque omnes lectiones quas Politianus atramento illo diffuso in exemplar Corsinianum rettulit nota 'D.' uel 'c̊' non addita, h. e. et notae A* et A lectiones signo originis non instructae, quoniam e codicis Matritensis exemplari sunt descriptae, ad Siluarum uerba restituenda adhibendae sunt. Atque cum Politianum uirum illum doctissimum multo minus facile quam Matritensis librarium indoctissimum errasse manifestum sit, quamquam hic illic Politianum errasse concedendum est, in uniuersum lectionibus a Politiano in exemplar Corsinianum relatis maior fides est habenda quam Matritensi.

Quae postquam demonstrauimus, quaeritur, num editionis principis lectiones, quas Politianus, cum exemplar Corsinianum cum Poggii codice contulit, non mutauit, lectionum codicis instar sint.

Quod omnes, qui de hac quaestione egerunt, uiri docti negarunt. Primus enim Baehrensius p. VII sq. ideo quod 'multae editionis principis lectiones, quas in Sangallensi re uera extitisse numquam tibi persuadeas, silentio praeteritae' sint, eis locis, quibus Politianus nihil adnotauit, lectiones editionis principis tum demum fide dignas esse dixit, cum codicum reliquorum testimoniis confirmentur; diffidendum illis, ubi ab his recedant. Cui sententiae Goetzius p. IV libenter subscripsit. Atque uel Nohlius 'Wochenschrift f. klass. Philol.' 1885 coll. 49/50 e Politiani silentio certi quicquam concludi posse negauit. Denique Skutschius p. 472 sq. eandem secutus sententiam compluria alia ad eam confirmandam attulit

argumenta. Quae, quoniam Skutschius accuratissime de hac quaestione egit, primum nobis sunt examinanda.

Ac firmissimum quidem Skutschio uidetur hoc argumentum (p. 473), quod, si ubique editionem principem non correctam libri Poggiani imaginem reddere noluisset Politianus, non sit intellegendum, cur tandem hic illic lectioni editionis principis non correctae idem in uetere codice legi adscripserit, id quod fecit I 4, 23, II 2, 116, IV 3, 106, V 2, 137, V 5, 58, I 4, 60. Sed hoc argumentum prorsus nihili est. Fugit enim Skutschium omnibus illis locis Politianum Domitii quoque lectionem uel ipsius coniecturam adscripsisse. Has quas addidit lectiones cum comparamus cum libri Poggiani quae in edito quoque exemplari leguntur lectionibus, uidemus uetusti codicis lectiones omnes exc. I 4, 60, ubi codicis lectio mirum in modum est corrupta, tales esse, ut, utrum hae an illae quas addidit lectiones uerae essent, Politiano dubium uideri potuerit. Itaque illas lectiones in uetere codice legi ideo dilucidis uerbis testatus est Politianus, quod prae aliis notabiles esse ei uidebantur (cf. quae p. 63—69 explicaui). Quod autem eaedem lectiones etiam in editione principe leguntur, non miraberis. Quo enim iure exspectare poteris Politianum, qui uetusti codicis lectiones, quas prae aliis notabiles putabat, signo codicis notare solitus est, illud signum eis lectionibus codicis, quae forte etiam in editione principe leguntur, non addidisse, quamuis prae aliis notabiles putaret?

Alterum argumentum Skutschius p. 473 sq. attulit codicis Laurentiani collationem a Politiano ad II 7 in exemplar Corsinianum relatam. Attulit enim uir doctus aliquantum codicis Laurentiani lectionum numerum, quae, quamquam in editione principe secus leguntur, a Politiano non sunt exscriptae. Vnde conclusit e Politiani silentio nihil colligi posse. Eandem sententiam Klotzius p. LIII sq. secutus est. Verum illae codicis Laurentiani lectiones a Politiano omissae cuius generis sint, ut uideas, primas earum quas Skutschius attulit profero: 9 Laetae **a**, tae **L**, ib. uittas **a**, *in* **L** *litterae* u *dimidia pars deleta est*, 20 ista **a**, iste **L**, 26 uides **a**, in *in* ui *corr.* **L**², 28 fertiles

athenas **a**, fertilis atheras **L**, 29 Unctis **a**, uinctis **L**, 30 potes **a**, potes //// (t *erasa*) **L**. Eiusdem generis reliquae, quas attulerunt et quae afferri possunt, libri Laurentiani lectiones sunt, quas Politianus omisit. Vides igitur quascumque lectiones codicis Laurentiani Politianus silentio praeteriit, eas aut apertissime corruptas esse aut minutias, ex quibus ad Statii uerba restituenda prorsus nihil redundet. Quas ea de causa Politianus non exscripsit, quod, quidnam uerum esset, e codice Poggiano, quem Laurentiano codice multo meliorem esse uir doctissimus ille non poterat non intellegere, apparebat[1]) eamque ob rem illas Laurentiani libri lectiones prorsus nullius momenti esse manifestum erat. Verum si huius carminis II 7 memoria non aliunde nisi e codice Laurentiano penderet, Politianus certe eadem ratione, qua e Poggiano codice corruptas quoque lectiones multas uel uocabulorum fragmenta ut I praef. 10 o . . . . . ., V 5, 25 tumul uctus, V 5, 26 m . . . . . ., alia inscripsit, etiam huius modi lectiones 'tae' (u. 9), 'iste' (20), 'atheras' (28), etc. memoriae tradidisset. Male igitur egerunt uiri docti quod crediderunt eodem modo quo codicem Laurentianum

1) Laurentianum enim non ante Poggianum codicem a Politiano collatum esse intellegitur e u. 134, ubi ad 'fessus' typis expressum Politianus margini adscripsit 'festus [l ātiq°] festus [Δ]'. Quam rem Klotzius p. LIV recte perspexit. Sed errauit uir doctus, quod Laurentiani collationem post Poggiani Politianum adscripsisse putat. Saepius enim Politianus lectionem solum e Laurentiano exscripsit, quam in Poggiano quoque exstitisse e Matritensi apparet: 2 isthmię [Δ], 3 concitauit [Δ], ib. oestro [Δ], 14 pater [Δ], 22 Et uinctę [Δ], 37 uagientem [Δ], 60 Flminibus [Δ], 93 Signatī [Δ], 104 dirum [Δ]. Lectiones tam notabiles uel tantopere ab editione principe recedentes ut 'pater' (patet **a**), 'uinctę' (iuncte **a**), 'uagientem' (uagitantem **a**), 'fulminibus' (culminibus **a**), 'Signatum' (Sic natum **a**), 'dirum' (durum **a**) Politianum, si unum codicem Poggii ante oculos habuisset, ex hoc certe inscripturum fuisse e ratione, qua in ceteris carminibus cum libro Poggiano conferendis usus est, cum eluceat, apparet Politianum Poggii codicem et Laurentianum una contulisse. Quod certissimum fit eo, quod ad hoc carmen II 7 e Poggii codice multo minus lectionum Politianus adscripsit quam ad cetera carmina. In quibus ad alterum uel tertium quemque uersum lectionem codicis Poggiani adscripsit, in hoc autem carmine ad septimum quemque uersum.

istum multis locis, quibus Poggii codex aliquot saeculis recentior ueram lectionem habuit, corruptum a Politiano Poggii quoque librum collatum esse, ex quo omnes ceteros Siluarum codices descriptos esse uir doctissimus ille non ignorabat. Itaque hoc quoque Skutschii argumentum prorsus nihil ualet. Quin etiam contrarium aliquid ex exemplis a Skutschio allatis concludendum est. Omnibus enim illis locis quos Skutschius attulit, editio princeps eandem habet lectionem, quam in Poggii codice exstitisse e Matritensis testimonio constat, eamque ueram. Itaque ad has lectiones ideo nihil adscripsit Politianus, quod lectiones typis expressas lectionum codicis Poggiani instar esse uoluit, quibus, cum sine dubio ueras eas esse uideret, Laurentiani lectiones aperte corruptas adscribere noluit.

Sed unum etiam restat Skutschii argumentum, quod ille Baehrensium Goetziumque secutus protulit. Attulit enim p. 472 sq. aliquot editionis principis lectiones a Politiano non mutatas, quas in codice Poggii exstitisse numquam tibi persuadeas. Verum inter illos quos Skutschius attulit locos sunt, quibus Politianus atramento non diffuso Domitii uel ipsius coniecturam adscripserat. Quos hic afferre e re uidetur:

I 6, 46 quando **a**, ⌊.Do.⌋ quin α, quin **M**
II 1, 160 murmura **a**, ⌊Do⌋ munera α, munera **M**
III praef. 5 feliciter **a**, ⌊.Do.⌋ fideliter α, fide liter **M**
IV 2, 40 Ipsum nec cupido **a**, Do. Ipsum ipsum. ego c̊. ip̄ūm met α, ipsum ipsum cupido **M**
IV 5, 16 hyems **a**, ⌊.D.⌋ lÿeus α, lyaeus **M**
V 3, 24 tibi **a**, c̊ tu α, tu **M**
V 5, 12 plausibus **a**, ⌊.D.⌋ planctibus α, planctibus **M**

His locis omnibus cum eandem lectionem, quam Politianus iam antea e Domitii editione uel ex ipsius ingenio adscripserat, in Poggii codice exstitisse e Matritensis testimonio cognoscatur, apparet Politianum eo quod tum, cum codicem contulit, nihil adscripsit, indicasse lectiones illas Domitii uel ipsius, quas, cum unice ueras esse merito putaret, antea

adscripserat, in Poggii quoque codice scriptas legi, non editionis principis lectiones aperte falsas. Idem et ad lectiones *α* nota 'Do.' uel 'c̊' non insignitas ualet. Quarum paucas affero: I 2, 22 fonte **a**, fronte *α* **M**, I 2, 27 mendacis **a**, mendaces *α* **M**, I 2, 69 exclamante **a**, ex adamante *α* **M**, I 2, 70 simus **a**, sumus *α* **M**, I 2, 135 Falsas a, Falsvs *α* **M**, I 2, 141 arcus **a**, artus *α* **M**, I 2, 149 his **a**, hic *α* **M**, I 2, 159 quę **a**, q{uam} *α* **M**, ibid. se **a**, si *α* **M**, I 2, 173 quę **a**, qui *α* **M**, I 2, 178 Inque **a**, Iamque *α* **M**, I 2, 245 iubet **a**, rubet *α* **M**, I 2, 262 consurgit **a**, consurgat *α* **M**, I 2, 266 properare **a**, properate *α* **M**, multa alia. Attamen non omnes lectiones *α*, quibus Politianus atramento diffuso nihil adscripsit, in Poggiano codice scriptae fuerunt. En habes exempla:

I 1, 6 Effigere **a**,	Effixere *α*,	Effigere **M**
I 1, 107 iura **a**,	tura ⌊D⌋ *α*,	iura **M** *et Prisciani codd.*
I 2, 11 duxit **a**,	ducit *α*,	duxit **M**
I 2, 82 attonito **a**,	attonitus *α*,	attonito **M**
I 2, 267 legant **a**,	regant *α*,	legant **M**, alia.

Quibus locis cum editio princeps easdem lectiones atque Matritensis exhibeat, atque Matritensis codicis lectiones in Poggiano codice fuisse ueri sit simillimum, apparet illis locis editionis principis lectiones, non lectiones *α* in Poggii codice scriptas fuisse. Vides igitur in hac quidem re Politianum non fuisse constantem. Itaque ubi lectioni typis expressae nihil nisi lectio *α* a Politiano adscripta est, modo lectio *α* modo editionis principis lectio in codice Poggiano fuit.

Vbi igitur Politianus antea lectionem adscripserat, in codice conferendo neglegentior fuit. Debebat enim in codice cum editione principe conferendo aut omnes lectiones antea adscriptas neglegere aut omnibus illis locis diserte prodere, utrum editi exemplaris lectio an lectio *α* in codice exstaret. Praeterea similis neglegentiae iis locis Politianus reus est, quibus complures lectiones *α*, et Domitii et ipsius coniecturam, adscripserat, ut IV 2, 40. Etenim diligenter referendum erat, utrum Domitii an ipsius lectio in codice scripta esset.

Sed quaeritur, sintne editionis principis lectiones, quibus prorsus nihil adscripsit Politianus, lectionum codicis Poggiani instar. Qua de quaestione ut recte iudicare possimus, hoc mihi est monendum in minutias orthographicas Politianum operam nequaquam aequabiliter contulisse. Quamquam enim hic illic orthographicas res non neglexit, uelut I 5, 59 'hipocausta' mutauit in 'hypocausta', III 2, 102 'anhelli' in 'anheli', III 2, 111 'terapnei' in 'therapnęi', III 2, 120 'cathenas' in 'catenas', III 3, 176 'Thereos' in 'Tereos', III 4, 92 'archanos' in 'arcanos', III 5, 20 'thiles' in 'thyles', III 5, 62 'tedis' in 'tędis', alia, tamen uel in iis lectionibus, quas secundum codicem correxit, haud raro orthographicas res omisit. Velut I 2, 45 uocabuli 'tritonia' litteram 'r' deleuit, sed 'h' ad alteram 't' non adscripsit, I 2, 88 'Bracha' mutauit 'Brachia', non 'Bracchia', I 3, 79 uocabuli thirinthia' primam 'h' deleuit, sed alteram 'i' non mutauit 'y', I 4, 99 uocabuli 'quidcunque' 'i' deleuit et 'o' suprascripsit, sed 'n' in 'm' non mutauit, I 6, 13 'idumnes' mutauit 'idumes', non 'idymes', alia[1]). Itaque in eis lectionibus, quibus prorsus nihil adscripsit Politianus, de orthographicis quidem rebus silentio Politiani eo minus fides est habenda. Velut in I 2 hae lectiones typis sunt expressae: 17, 133, 220 euahn, 40 cianeos, 54 Fulchra, 79 nanque, 83 Vrgentem, 110 Excoepi, 124 illachrymare, 126 cristalla, 130 thesalicos, 135 ethre, 141 Sydereos, 145 Illiacę, 160 ericinaque, 182 thoros, 195 Connubii, 196 lachrymę, 211 connubia, 216 ęmoniis, 218 Sydera, 221 orthigia, 222 tymbrę, 223 parnasus, 226 chelin, 227 tyrsos, 236 Foelices, 255 thomis, 257 camoenę, 263 sebetos, 264 naiades, 266 Eia, quas, quamquam in Poggii codice in orthographicis rebus aliter, h. e. melius scriptas fuisse e Matritensi constat, Politianus non mutauit.

---

1) Itaque ubi Politiani notae afferuntur, editionis quoque principis lectiones addantur necesse est, ut quiuis uideat, quid Politianus e codice inscripserit, quid, cum minutius ei uideretur, in lectione typis impressa non mutarit. Hoc quod Baehrensius non considerauit, quin de huius modi lectionibus uiros doctos in errores induceret, fieri non poterat.

In orthographicis igitur rebus silentio Politiani fides est nulla.

Quaeritur igitur, num neglectis rebus orthographicis exemplar Corsinianum integram libri Poggiani imaginem esse uoluerit Politianus. Hoc ne putaremus, Skutschius l. l. praeter locos illos, ex quibus aliud quid atque uir doctus demonstrare uoluit effici p. 102 sq. uidimus, aliquot editionis principis lectiones, quas in Poggii codice exstitisse nemo sibi persuadebit, a Politiano non mutatas attulit. Quae quamquam recte sunt allatae, nihilominus, quoniam haud ita multae editionis principis lectiones, quae in Poggii codice exstare non potuerunt, a Politiano non sunt mutatae, Politianum lectiones typis expressas, quas non mutauit, lectionum codicis instar esse noluisse testari nequeunt. Etenim nihil facilius fieri potuit, nisi ut Politianum, quamuis omnes lectiones a codice recedentes corrigere uellet, nonnullae fugerent, praesertim cum his quoque diebus nullam codicis manu scripti alicuius collationem, ne peritissimi quidem uiri docti, prorsus plenam esse Wachsmuthius me monuerit.

Atque re uera editionis principis lectiones codicis lectionum instar esse Politianum uoluisse e septuaginta tribus illis locis, de quibus p. 78 sq. egimus, apparet, quibus Politianus lectionibus editionis non mutatis nihil nisi Domitii uel ipsius coniecturas signo 'Do.' uel '$\overset{e}{c}$' notatas adscripsit. Hi enim editionis principis loci omnes — praeter I 5, 21 (crebre cnydos **a**, crebre cuidos **M**), V 3, 94 (Ciclalyben **a**, Cydalibem **M**), V 3, 222 (Acates **a**, achates **M**), ubi discrepantiae, quae e codicis litterarum ductu non explicentur, non sunt nisi orthographicae, et II 1, 84 (sanare **a**, sancire **M**), V 3, 35 (hebente **a**, habente **M**), V 3, 153 (Obsitus **a**, Obsicus **M**), ubi discrepantiae e codicis Poggiani litterarum formis explicandae sunt — cum Matritensi ad litteram congruunt, inter eos quadraginta uel in falsis lectionibus. Has igitur editionis lectiones cum ita ut typis expressae sunt in Poggii codice scriptas fuisse manifestum sit, apparet Politianum eo quod nihil mutauit testatum esse lectiones editionis principis in uetusto quoque codice exstitisse.

Idem apparet inde, quod multis editionis lectionibus aperte

falsis, quae eaedem in Matritensi exstant, Politianus prorsus nihil adscripsit. Quarum nonnullas affero: I 2, 194 tacitoque a **M** (tacitaeque), I 3, 60 Testa a **M** (Tecta), I 4, 49 amori a **M** (amore), I 4, 61 Progressusque a **M** (Praegressusque), I 6, 24 serenam a **M** (serena), I 6, 61 quam manu a **M** (qua manu), II 6, 64 ager a **M** (Acir), III 2, 140 uadis a **M** (cadis), III 3, 179 periuria a **M** (per inania), IV 3, 19 caluum a **M** (caelum), IV 4, 30 aperit a **M** (operit), IV 4, 71 Ipsa a **M** (ipse), multa alia. Hae editionis principis lectiones a sano sensu tantopere abhorrent, ut Politianus, si non omnes, tamen nonnullas certe mutasset, nisi editionis quoque lectionibus non mutatis codicem Poggii reddere uoluisset.

Manifestissime autem intellegimus, uolueritne Politianus lectiones typis expressas, quas non mutauit, codicis lectionum instar esse, cum totum libri Corsiniani locum cum Matritensi diligenter comparamus. Itaque alterius libri praefationem sicut typis expressa legitur exscripsi atque ea, quibus editio a Matritensi recedit, litteris quae dicuntur cursiuis imprimenda curaui, eis, quae Politianus adscripsit, infra additis:

P. Papini Stat*i*[1]) Siluarum.
Liber Secundus.

[2])
ET familiaritas nostra qua gaud'o melior uir
optime nec min{us} in iudicio litterarū q{uam} *ocii*[3])
uitę colore tersissim*ę*[4]): & ipsa opusculorum
quę tibi trado cōdicio sic posita est ut tot{us} hic alte*r*[5]) li-
ber meus etiam sine epistola expectet[6]): Primū enim
hab& glauciā nostrū cui{us} gratissima īfantia: & qua*rū*[7])
pleru*n*que infelices sortiūtur apud te cōplex{us} amaba*re*[8])
iam nō tibi huius ami*si*[9]) recens uuln{us} ut scis epicedio
prosecutus sum ad *te*[10]) festināter ut excusandam habue
rī affectib{us} tuis celeritatē: Nec nunc eā apud te iacto

1) i *addidit* **A** 2) Statius Meliori suo sal. **A** 3) *del. et suprascr.* i omni **A** 4) ¸*del.* **A** 5) r *uncis del.* **A** 6) [.Do.] expectetur **A** 7) qualem **A** 8) amabā **A** 9) amissi **A** 10) *del. et* eo *suprascr.* **A**

qui nosti. Sed & cęteris iudico[11]): nec[12]) quis *a su*periore[13]) li ma carmen examinet & a confuso scriptum & dolenti datum cū pene superuacua sint *co*rda[14]): So*l*la*t*ia[15]) pollii mei uilla surrētina quę sequitur debuit a me uel in ho nore eloquentię eius diligentius dici: Sed amic{us} igno[16]) *rauit* ĩcerte[17]) tuam: Melior & psi*t*acum scis a me leues libellos quasi epigrāmatis loco scriptos eandē exige-bat stili *facultatē*[18]) leo māsuet{us} quē in Amphitheatro prostratum frigidum erat Sacratissimo ĩperatori ni statim traderem *aduersum*[19]) quoque nostrū iuuenē candi dissimum & sine iactura desidię doctissimum script*ū*[20]) de *puero amisso*[21]) consolationem super ea quę ipsi de *hoc*[22]) huic *libro*[23]) *inserui* quia honorem eius tibi laturus accepto *excludit uolumen*: Gen*oth*iacon[24]) lucani quod polla argētaria *c*arissima[25]) uxo*r*[26]) cum hunc diem forte con*side*remus[27]) ĩputari sibi uoluit ego non *potui*[28]) *tanti* auctoris habere reuerētiā q{uam} quod laudes eius dictur{us} *e*xametros meos timui: hęc qua*li*cu*n*que[29]) sunt Melior carissime si tibi non displicuer*it*[30]) *ad*[31]) te publicum acci-piant: *Summi*[32]) ad me reuertantur.

Triginta septem igitur lectionibus in hac praefatione editio princeps a Matritensi recedit. Quarum triginta Politianus e codice correxit atque ita quidem, ut omnes, exc. nota 2, ubi pro Matritensis lectione 'SALVTEM' Pol. rettulit 'sal.' (cf. p. 97), et 32, ubi 'Sĩ minus' testatur, Matritensis autem 'Si minus' habet (cf. p. 88), cum Matritensi ad litteram congruant. Praeterea editionis principis lectionem 'iudico' cum Matritensi congruentem e Poggii codice in lectionem ueram 'indico' correxit. Septem autem quae restant lectionum a Matritensi discrepantium, quas Politianus non mutauit, quinque non nisi minutiis orthographicis

11) indico A 12) c *del.* A 13) u *del.* A 14) tarda A 15) solatia. A 16) *ad* igno *add.* uit A 17) rauit ĩ *del. et* In āborē *adscr.* A 18) facilitatē A 19) ad ursum α 20) scriptā A 21) b a *suprascriptis ordinem uerborum inuertit* A 22) deh /// [ĩ Antiq° li° p ///] A* 23) *suprascr.* libenter A 24) Genethliacon A 25) *rarissima* A 26) ū *add.* A 27) [Do.] cōsideraremus | Consuleremus .pog. A* 28) *suprascr.* maiorem A 29) *intra* i *et* c *suprascr.* a (*incertissim.*) A 30) -ĩt A 31) d *del.* A 32) Sĩ minus A

a Matritensi recedunt: 9 plerunque **a**, plerumque **M**, 13 cęteris **a**, ceteris **M**, 15 pene **a**, paene **M**, 18 psitacum **a**, psittacum **M**, 30 exametros **a**, hexametros **M**. Videmus igitur tot lectionum a Matritensi recedentium omnes praeter duas neglectis minutiis orthographicis nonnullis a Politiano e codice correctas esse. Tanta igitur diligentia cum Politianus codicem uetustum cum exemplari Corsiniano contulerit, quid est ueri similius quam duas illas editionis lectiones a Matritensi recedentes, quas non mutauit, ita in Poggii codice scriptas fuisse, ut typis expressae leguntur? Quod certissimum nobis fit ipsas lectiones illas considerantibus: 23 doctissimum **a**, dotissimum **M**, 26 excludit uolumen **a**, Excludit est uolumen **M**. Primum enim litteras 'c' et 't' a Matritensis librario sescenties inter se commutatas esse cum uiderimus, nemo facilius quam Matritensis librarius 'doctissimum' in 'dotissimum' corrumpere potuit. Deinde 'est', quod post 'Excludit' in Matritensi exstat, sensus prorsus expers, quod, cum eo omisso sensus restituatur integer, per dittographiam aliquam e praepositione 'ex' ortum esse apparet, quin Matritensis librario debeatur, cur dubitemus non est. Accedit, quod Politianus, quem tam subtili diligentia codicem contulisse uidemus, ut uel tituli uocabulo 'Stati' litteram 'i' adderet et lin. 6 lectionem 'alter' per se nihil offensionis praebentem in lectionem corruptam 'alte' mutaret, certe 'est' quoque uocabulum admodum conspicuum, quamquam sensu caret, adiecisset, si in Poggii codice inuenisset, eadem quidem ratione, qua e. gr. I praef. 35 ante 'ualēti' e codice rettulit 'est' uerbum item a sano sensu abhorrens. Vides igitur editionis quoque lectionibus non mutatis Politianum uerba, quae in Poggii codice exstiterunt, memoriae tradidisse. Itaque non solum lectiones, quas Politianus e codice in exemplar Corsinianum rettulit, sed etiam lectiones typis expressae, quas non mutauit ille, codicis Poggiani instar sunt; quamquam hoc est tenendum in orthographicis rebus silentio Politiani fidem non esse habendam, et nonnullas certe editionis lectiones a libro Poggiano recedentes Politianum fugisse.

Atque quanta in uniuersum fides silentio quoque Politiani habenda sit, uno exemplo illustrauerim: I praef. 35 enim in editione principe typis expressum legitur 'ualēti', quam lectionem, cum Politianus non mutauerit, in Poggii libro scriptam fuisse putemus necesse est, si id quod demonstrasse mihi uideor editionis quoque lectiones quas Politianus non mutauit codicis Poggiani lectionum instar esse, uerum est. Iam uero Matritensis librarius, si Klotzii apparatui critico fides est habenda, testatur 'ual^{ſce}enti', quam lectionem, quippe cum uerior esse uideatur quam editionis principis lectio a Politiano non mutata, in Poggii libro scriptam fuisse, Politiani autem silentio fidem non esse habendam quin adhuc crederent uiri docti ob ea, quae Baehrensius, Goetzius, Nohlius, Skutschius de silentio Politiani contenderant, fieri non poterat. Verum quanto iure 'ualēti', non 'ual^{ſce}enti' in Poggii codice scriptum fuisse dicam, ex ipso Matritensi apparet. Etenim tabulam photographicam illius paginae codicis Matritensis, in qua hoc uocabulum scriptum est, editioni Klotzianae affixam cum conferimus, uidemus litteras 'ſce' non ab ipso Matritensis librario suprascriptas esse, sed a correctore M², quem codicem uetustiorem non inspexisse Klotzius p. XXXIX sqq. recte ostendit. Ab hoc enim, non a Matritensis librario 'ſce' scriptum esse dilucide apparet inde, quod librarius ipse litterae ſ forma ubique usus est parum eleganti et infra lineam non ducta, syllabae 'ſce' autem 'ſ' nitida illa forma et magnam partem infra lineam ducta exarata est, qua corrector M² semper, librarius Matritensis numquam usus est. Itaque illud quod ex editionis principis lectione a Politiano non mutata statuimus 'ualēti' in Poggii libro scriptum fuisse, non 'ual^{ſce}enti', ipsius Matritensis accuratius collati testimonio confirmatur. Vides igitur etiam editionis principis lectiones a Politiano non mutatas ad Poggii codicem restituendum non parui esse momenti.

Itaque ubi quaeritur, utrum uocabulum aliquod ita, ut in Matritensi legitur, in libro Poggiano exstiterit an alia lectio ibi fuerit an omnino de-

fuerit, et lectiones a Politiano e codice in exemplar Corsinianum relatae, A* et A, sunt adhibendae et editionis principis lectiones ab illo non mutatae uel interdum lectiones α adscriptae; neque uero obliuiscendum est et aliquot editionis lectiones a Poggii codice recedentes Politianum fugisse et in orthographicas minutias uirum illum doctum operam plerumque non contulisse. His igitur rebus exceptis liber Corsinianus plenam et diligentissimam codicis Poggiani collationem exhibet.

Quae postquam didicimus, de Politiano hoc iudicium nobis est ferendum eum, etiamsi subtilissima illa accuratione, qua horum temporum uiri docti uti solent qui ne orthographicas quidem minutias neglegunt, usus non est, tamen pro illis quidem temporibus accuratissime contulisse et summa laude esse dignum.

Denique breuiter comprehendam quae demonstrasse mihi uideor: Matritensis non est codex ille, quem Poggius prope Constantiam ex uetusto codice a semet ipso reperto exarandum curauit et in Italiam misit, id quod Klotzius opinatus est, sed nihil nisi apographum illius. Poggii autem ille codex restituendus est et e codice Matritensi et e libro Corsiniano, quae plena et in uniuersum diligentissima codicis Poggiani collatio est coniecturis nequaquam inquinata, cui, praecipue in eis, quae Politianus atramento diffuso adscripsit, maior fides est habenda quam codici Matritensi.

Quoniam igitur intelleximus omnes lectiones a Politiano in exemplar Corsinianum relatas exceptis lectionibus α ad Siluarum uerba restituenda summi esse momenti, atque cum illae lectiones adhuc neque omnes neque ea, qua opus est, diligentia editae sint, e re esse uidetur omnes Politiani notas in uirorum doctorum usum proferre. Neque omitti possunt lectiones α, quia Politianum, ubi lectio quam antea inscripserat cum codicis Poggiani lectione concinebat, notam α uice lectionis codicis fungi uoluisse supra (p. 102 sq.) uidimus

Ceterum ne forte quis arbitretur tabulis photographicis Heidelbergensibus, quas contuli, minorem fidem esse quam ipsi exemplari Corsiniano, id quod Klotzius p. LII sibi persuasisse uidetur, hoc monuerim Zangemeisterum illas tabulas faciendas curasse ea spe commotum atramentum pallidissimum, quo libri Poggiani collatio exarata est, in photographicis tabulis facilius dinosci posse. Quae spes illum non fefellit. Etenim litterarum ductus qui in ipso exemplari Corsiniano uix possunt conspici, in tabulis photographicis dilucide discernuntur. Velut I 2, 147 Skutschio teste (p. 478, adn. 29) Hosius et Krollius de eis, quae Politianus supra 'uiridis' scripsit, uehementer dubitarunt neque quicquam dinouerunt nisi 'uł [est? ut? at?] niti', Studemundus quanta fuit oculorum acie legit 'N uł nitidis (*incertis tamen primis tribus litteris*)', in photographicis autem tabulis satis dilucide legitur 'āt uł nitidis'. I 4, 60 (cf. Skutsch. adn. 10) Hosius haec testatur "in margine legitur uerbum ex quo cognosco 'pr' et forsitan 'd', uidetur suprascriptum 'pog.'", in tabulis photographicis haud ita difficile dinoscitur 'pridem [Do.]'. I 4, 66 legerunt (cf. Skutsch. ibid.) 'i lib pog plebeam (*? sed incertis litteris nonnullis*)', in photographicis tabulis dilucide legitur 'ī l° pog. phębeam'.

Denique ubi lectiones, quas ego refero, ab iis, quas alii exscripserunt, discrepant, mihi quidem maiorem fidem habeas quaeso. Namque et quanta potui diligentia notas Politiani contuli et, ubi collatio mea ab aliorum collationibus recedebat uel ubi de nota aliqua dubitationes mihi oboriebantur, tabulas Heidelbergenses denuo consului. Accedit, quod eos locos, in quibus dinoscendis oculi mei haesitarant, Wachsmuthio comiter intercedente Zangemeister uir doctissimus ille codicum excutiendorum peritissimus liberaliter in usum meum contulit.

Iam quaecumque Politianus libro Corsiniano adscripsit refero atque ita, ut priore loco editionis principis lectiones (quae cur addantur necesse sit, p. 104 adn. explicaui) afferam unco] seclusas, tum ipsas Politiani notas.

POLITIANI NOTAE AD STATII SILVAS IN EXEMPLARI CORSINIANO

Lib. I

praef. tit. PROHOEMIVM AD STELLAM] Statius Stellę (a *ante* ę *scr. et del.*) suo Salutem *A* ‖ 6 parte uoluisti] parte et (*incert.*) uoluisti *A* ‖ 9 pro . . . . . .] prodierint *a uel al. man.* ‖ 10 .n. (*h, e. enim*) . . . .] .n. o . . . . *A* (*al. man. ad* o *addidit* portet huius) (*cf. p. 85*) ‖ 20 Q{uam}uis in meone] Quamti meo *A* (*sed litterae* t *loco primum scr.* v, *cf. p. 80 sq.*) ‖ 23 Cęterū] Cęntū *A*[1]) ‖ 28 *om.*] scis *A* ‖ 33 gloriari & uillam] gloriari uillam *A* ‖ 35 Gallico ualēti (*cf. p. 109*)] *post* Gallico *suprascr.* seqr (= *sequitur*) est *A** ‖ 37 testimonium est] *post* testimonium *uerbum quale* domomum *suprascr. uid. A.*

1 tit. In Equū Maximū Imp. Domici] EQVS MAXIMVS DOMITiani Imp. *A* ‖ 1 QVE] QVĘ *A* ‖ 1 geminata] gemmata *a* ‖ 6 Effigere] Effixere *a* ‖ 10 Ida] Ide *A* ‖ 20 tardo rapto] c̊ tantus (*prim. scr.* tanto) rapto *a* ‖ 20 rapto] raptus *A* ‖ 27 captis (*post* das)] catis *A* ‖ 32 cęlum] cęlsum *A*[1]) ‖ 42 themes edidit] themese dedit *a uel al. man.* ‖ 43 lacus] latus *a* ‖ 52 Nunc] Hunc *a* ‖ 56 uisessaque] insessaque *A* ‖ 59 super ingentis] super ingesti *A* ‖ 67 seruat] seruāt *A* ‖ 71 At] Ac *A* ‖ 72 tibi que] ter que *A* ‖ 73 tepidus] trepidās *A* ‖ 76 nosce] nosse *A* ‖ 91 hiemes aut] hiemes opus aut *A* ‖ 94 hac] hoc *A* ‖ 96 iuncta] iuxta *A* ‖ 100 coenę] cerę *A* ‖ 103 tonans] taras *A* ‖ 105 Cęcus] Cęrtus *A*[1]) ‖ 107 Lętius] Lętus *a* ‖ 107 hoc] huic *A* ‖ 107 iura] tura [D][2]) (= *Domitius*)[3]) *a*[4]).

---

1) de huius modi notis cf. p. 104.

2) hoc loco monuerim uncis [ ] ea uerba me seclusisse, quae supra lectiones ad quas spectant scripta sunt (cf. p. 30), uncis { } eas litteras, quae per compendium scriptae sunt (cf. p. 70).

3) Domitii lectiones his signis notauit: 'D' uel 'D.' uel 'Do' uel 'Do.' uel '.Do.' uel 'do.' uel 'Dom' uel 'Domitius' plerumque suprascriptis, hic illic adscriptis.

4) praeterea multae aliae lectiones alia manu (III) in hoc carmine adscriptae sunt, cf. p. 75 sq.

2 tit. Epithalamion in Stellã Poetã & Violentillã Stellę cõiugem] Epithalamium in Stellam et Violẽtillã *A* ‖ 2 tonãti] comãti *A* ‖ 4 q{uan}tumque[1]] q{ua}tiuntque *A* ‖ 9[2]) ‖ 11 genitrix] genetrix *A* ‖ 11 duxit] ducit *a* ‖ 15 nouo — marito] noua — marita *A* ‖ 19 Secta] Serta *A* ‖ 19 nec te blandus] nec blandus *A* ‖ 22 fonte] fronte *a* ‖ 22 mollis] viollis *A* ‖ 27 mendacis] mendaces *a* ‖ 27 astris] astus *A* ‖ 28 mormordit] momordit *A* ‖ 30 natura] narrata *A* ‖ 33 paue] paues *A* ‖ 33 poneo] pone o *A* ‖ 34 expositam] expositum *A* ‖ 34 aperta] aperto *A* ‖ 36 *om.*] Aut pudor amplexu tandem saciare | (*reliquae litterae cum margine recisae sunt*) *A* ‖ 40 raptare] raperere *A* ‖ 42 emonia] oenomai *A* ‖ 42 frequentes] Do sequentes *a*, sequentıs *A* ‖ 44 Dixisses] ĩ antiq° codice sedisses [.Do.] (= *Domitius*) venisses *A** ‖ 45 prehensa] prensa *A* ‖ 45 tritonia] titonia *A* ‖ 46 uates] uatis *A* ‖ 48 pulsantis] pulsantur *A* ‖ 49 decet] doce *A* ‖ 51 quo] qua *A* ‖ 52 iacebant] iacebat *A* ‖ 53 gręci] getici *A* ‖ 60 repserunt deprehenso] deprenso repserunt *A* ‖ 63 profatus] profatur *A* ‖ 68 Pro] Et *A* ‖ 69 nudo] duro *A* ‖ 69 exclamante] ex adamante *a* ‖ 70 simus] sumus *a* ‖ 71 patruis] patriciis *A* ‖ 78 spectare] sperare *A* ‖ 80 inermi] inerti *A* ‖ 82 attonito] attonitus *a* ‖ 84 facti] fodi [ĩ codice ant.] [.Do.]ht fixi *A** ‖ 86 Hyppomenen] Hippomenen *a* ‖ 88 Bracha] Brachia *A* ‖ 89 Pręlusi] Pręluxi *A* ‖ 92 Firmarique] Firmauique *A* ‖ 98 Sic] Do hic *A*, c̈ sed *a* (*a sinistro latere notae A in marg. sin. scriptae, cf. p. 57*) ‖ 99 uestra] nostra *A* ‖ 99 quercu] myrtho *A* ‖ 100 aut] haud *a* ‖ 100 aut extrema] aut externa *a* ‖ 103 Dempserat] Finis erat *A* ‖ 103 intenera] tenera *A* ‖ 105 uultu] uultũ *A* ‖ 107 hic] hãc *A* ‖ 114 nectire] metire *A* ‖ 116 ęstu] exto *A* ‖ 121 Hunc] huic *A* ‖ 122 ope atque animo] opes animo *A* ‖ 122 serus] seras *A* ‖ 123 Augustum] Angustum *a* ‖ 123 dumeta] clymeneaque *A* ‖ 128 hinc] huic *A* ‖ 128 uda] Do Inda *a* ‖ 131 daphnes] daphne *A* ‖ 134 nec] me *A* ‖ 135 Falsas] Falsvs *a* ‖ 135 hinc poenas] huic pẽnas *A* ‖ 137 Si] Sed *A* ‖ 139 sensu] sensi *a* ‖ 140 locauit] leuauit *A* ‖ 141 arcus]

1) cf. p. 112 adn. 2.

2) u. 9 supra uocabuli 'factura' litteras 'ac' fortasse aliquid scripsit *A*.

artus *α* ‖ 142 Lumen] Limen *α* ‖ 143 uehemēs] uehēs *A* ‖ 144 uas] .Do. tam *α*, iam *A* ‖ 144 arcis] arces *α* ‖ 145 rutilos] nitidos *A* ‖ 146 littora] limina *A* ‖ 147 uiridis] āt (= *antiquus codex*)[1]) uł nitidis *A** (*cf. p. 36 sq.*), *alia manus (II) atramento fusco marg. sin. adscr.* [.ant.] viridis (*cf. p. 75*) ‖ 148 Nec libyus] hic libycus *A* ‖ 149 his] hic *α* ‖ 149 auro] alto *A* ‖ 150 nitet] nitēt *A* ‖ 156 Hęc] Nęc *A* ‖ 159 quę se] q{uam} si *α* ‖ 159 phaon] paphon *A* ‖ 160 subire] subiret *A* ‖ 161 ad fata] adfata *A* ‖ 166 Exercet] Exerce *A* ‖ 168 &] ut *A* ‖ 168 transmutare] transmittare *A* ‖ 169 clara] cara (*incertissim.*) *A* ‖ 171 semet] inter *A* ‖ 173 quę (*ante* iuuenes)] qui *α* ‖ 174 Nunc] hunc *α* ‖ 174 bissenus] bissenos *A* ‖ 175 Pręsibus] Pręsidis *A* ‖ 178 Inque] Iamque *α* ‖ 179 purpureo] purpureos *A* ‖ 180 doctas &] Dacas que *et in marg. d.* do. quę est *A* ‖ 181 recentis] recentes *A* ‖ 183 iugali] l'iugaui [.Do.][2]) *A* ‖ 190 inde] unde *A* ‖ 196 lumina] limina *α* ‖ 197 coram] totam *A* ‖ 198 pedes] dapes *A* ‖ 198 macte] nocte *A* ‖ 198 ortus] ortu *A* ‖ 200 corde] corda *A* ‖ 203 mie] [.Do.] tumidę [codex poggii] nitidę *A** ‖ 204 Annus] Amnis *A* ‖ 204 extremos] externos *A* ‖ 206 populatus] prolatus *A*, c̊ p{er}latus *α* ‖ 209 alacris] alacri *A* ‖ 210 subierunt] salierunt *A* ‖ 215 pellea] pelea *A* ‖ 215ª Eiecto prospexit equo quam longa morantur] *del. α* ‖ 218 quem] quam *A* ‖ 221 Hinc] Hic *A* ‖ 221 rapida atque] mouet hic rapida (*del.* atque) *A* ‖ 222 Hinc] Huic *A* ‖ 222 latii] lycii *A* ‖ 225 ingressa] iniere *A* ‖ 227 enisa] enthea *A* ‖ 230 Omnia] Omina *A* ‖ 233 ueniant] ueniunt *A* ‖ 235 missa] mixta *A* ‖ 236 imagine] .Do. in agmine *α* ‖ 238 uitatum] intactum *A* ‖ 240 geniat] geminat

1) Poggii codicem uaria ratione indicauit Politianus. suprascripsit enim aut adscripsit 'ī antiq° codice' uel 'ī cod. poggii' uel 'ī li° pog.' uel 'pog.' uel 'ī ātiq°' uel 'āt', similia.

2) signum l' hoc loco 'lege' uel 'legit' significare apertum est ex nota '.Do.' addita. cum eadem coniunctum illud signum occurrit etiam III 5, 1, V 1, 92. aliis locis signum l' solum lectioni est adscriptum, II 6, 97, III 2, 81, IV 8, 51, ubi, quin sit 'lege' coniecturam indicans, dubium non est. uerum III 1, 13 idem signum, cum lectioni *A* 'ad sparsum' additum sit, quae in Matritensi quoque exstat eodem modo disiuncta, quid ualeat, si non 'liber' est, mihi est incompertum. idem ualere putarim ad III 3, 71 et IV 6, 83.

A ‖ 242 si iuncta] sic uicta *A* ‖ 245 iubet] rubet *α* ‖ 249 pellet] pollet *A* ‖ 252 choris] toris ãt (= *antiquus codex*) *A** ‖ 252 philites] philetes *α* ‖ 257 similis] similes *A* ‖ 257 uictęque] iũctęque *A* ‖ 262 consurgit] consurgat *α* ‖ 264 uicinę] lucrinę *A* ‖ 265 An] Nec *A* ‖ 266 properare] properate *α* ‖ 267 legant] regant *α* ‖ 267 laudant] ludant *A* ‖ 270 iterum] vterum *A* ‖ 273 ac] at *A* ‖ 275 Victa] Vĩcla *A* ‖ 276 uiridis] uirides *A*.

3 10 iunxit] unxit *A* ‖ 12 descendere] discedere *A* ‖ 13 merte] mẽte *α* ‖ 15 met] mite *A* ‖ 16 artemque (*praecedit* Arte manus)] concessa [Do] *A* ‖ 18 respondit] responsat *α* ‖ 20 Ipsa autem] Ipse anien *α* ‖ 22 Munera] Murmura *A* ‖ 23 habentes] auentes [.Do.] *α* ‖ 24 armis] [Do.] amnis *α*, amnis *A* ‖ 25 seruat] seruãt *A* ‖ 26 extrema] externa *A* ‖ 26 fluuiorum optare] [Do] fluuiũ ne obstare *A* (n *postea in* u *mutasse uidetur*) ‖ 27 Sesiacos] Sestiacos *A* ‖ 31 pene] penes *α* ‖ 31 sit colchida] sic calchida *α* ‖ 33 siccanium] sicanium *α* ‖ 34 medimme] mediumue *A* ‖ 35 Auratasque] Auratasne *A* ‖ 35 mauors] mauros *A* ‖ 35 postes] postis *α* ‖ 36 luna] [Do] uena *α* ‖ 41 tota] tuta *A* ‖ 45 unctis] iunctis *α*, iunctus *A* ‖ 52 uiuusque] uisusque *A* ‖ 56 speratque nouis asarata figuris] [.Do.] superantque nouas asarata figuras [Do.] *α* ‖ 56 asarata] asarota *A* ‖ 57 qui] quid *α* ‖ 57 ingentia] iungentia *α* ‖ 57 mittet] mirer *A* ‖ 58 tritoris] trichoris *A* ‖ 62 ignaro] ignoro *α* ‖ 63 damnet] [ĩ cod. poggii] Demet [.Do.] Demit *A** ‖ 65 immergite] ingurgite *A* ‖ 67/68 *om.*] et audaci transcurris fluĩa plũbo | m Ioniis sub fluctibus Elidis ãnẽ (*initia uersuum recisa sunt*) *A* ‖ 69 ęthreos] etneos *A* ‖ 70 aniene in fonte] ͤc Anien et fonte *α* ‖ 71 archana] arcano *A* ‖ 72 prosternunt] prosternit *A* ‖ 74 tiburinus] tiburnus *α*, tiberinus *α*[1]) ‖ 76 adiungere] abiungere *α* ‖ 77 thoros] choris *A* ‖ 78 acersere] accersere *α* ‖ 78 beatis] lÿceis *A* ‖ 79 thirintia] thirinthia *α*, tirinthia *A* ‖ 80 poterunt] poterant *A* ‖ 82 ad] in *A* ‖ 83 thelegoni] telegoni *α* ‖ 84 lacinięque] lucrinęque *et in mg.* [co. pog] lucrinę [.Do.] lacinię *A** ‖ 94 carthetius] gargetius *A* ‖ 95 Nec par] hęc per *A* ‖ 97 Si-

1) eodem atramento, quo 'e' suprascripta est, punctum quo 'i' delebatur extinctum est. unde apparet 'tiberinus' post 'tiburnus' relatum esse. cf. Klotz. p. LXXI.

mileę] Si maleę *A* ‖ 98 sorbet] sordet *A* ‖ 100 doctumque] dictumque Do *α* ‖ 101 Si] Seu *A* ‖ 102 tollis] tollas *A* ‖ 104 tu] tua *α* ‖ 107 hermis] hermus *A*.

4 tit. Rutillio Gallico] .: SOTERIA RVTILII GALLICI :~ *A* ‖ 4 & cęlo diues] es cęlo dis es Do. *et in marg.* c̊ Es celo Diue es Germanic⟨e⟩ *α* ‖ 10 suum] sinum *A* ‖ 11 togatę] rogatę *A* ‖ 12 implorent] implorant *A* ‖ 13 nos te] noster *A* ‖ 15 manent] manet *α* ‖ 17 induerit] c̊ intulerĩt *α*, induerĩt *A* ‖ 17 crinem] crimen *α* ‖ 19 ullo] illo *A* ‖ 21 mentem] mitem *α* ‖ 21 hortabatur] hortabor *α* ‖ 23 Quis] [c. pog.] Quis [.Do.] Qui *A** ‖ 23 carmine] numine ĩ lib. poggii *A** ‖ 23 cantus] tantus *A* ‖ 26 piplea] pĩplea *α* ‖ 29 Qui] Quom *A* ‖ 29 sequam] seu quom *et in marg.* [Do] Quem *A* ‖ 30 currat] curat *A* ‖ 31 celeri] cereri *A* ‖ 32 pene] prędę *A* ‖ 35 ad undas] abundas *α* ‖ 36 tingitur] cingitur *A* ‖ 38 crimina] pręmia *A* ‖ 39 amorque] amor quę *A* ‖ 39 tamẽ] tum *α* ‖ 40 potentis] potentes [co p] *A** ‖ 47 perturbare] proturbare *A* ‖ 49 fundit] fidit *A* ‖ 50 indementia] inclementia *A* ‖ 52 cunctate] cunctãte *A* ‖ 54 incendens] intendens *A* ‖ 54 animi quoque uerba] animique ĩ membra *A* ‖ 56 subresit] subrepsit *A* ‖ 57 pigrę] pigra *A* ‖ 58 decet] deus *A* ‖ 58 iusta] iuxta [Do.] *α* ‖ 58 cacumina] culmina *A* ‖ 60 precidem] *suprascr.* co p. *et in mg.* [Do.] pridem *A** ‖ 61 moras] Do. Morãs *A* ‖ 62 egredienda] aggredienda *A* ‖ 64 colos] c̊ colus *α* ‖ 64 te] nec *α*, ne *A* ‖ 64 fluminis] fulminis *A* ‖ 65 laudauit] .Do. putat legẽdũ laudarit *α* ‖ 65 arces] artes *A* ‖ 66 plebeiam] ĩ l° pog. phębeam *A** ‖ 66 dextrorsum] dextro sine *A* ‖ 66 cretã] c̊ cressam *α* ‖ 67 animamque] animam atque *A* ‖ 68 permissaque] p{rae}missaque *α* ‖ 69 dulce] luce *A* ‖ 70 gaudent] gaudet *α* ‖ 71 quoque] qua *α* ‖ 74 Permetuit] .Do. Permeruit *α* ‖ 75 recingi] retingi *A* ‖ 76 ingens] uigens *A* ‖ 77 per] perque *α* ‖ 78 arcumque] arcuque *A* ‖ 83 pręmissa] promissa *A* ‖ 86ª Attollam cantu gaud& trasimenus & alpes] — hic versus deest ĩ libro uetustissimo poggij qui e germania in Italiã ẽ relatus *A** (*cf. p. 32—36*) ‖ 88 latea] laeta (*an* laeca?) *A*, *qui in marg. add.* ĩ cõ' pog lacera *A** (*cf. p. 97 sq.*) ‖ 90 uel det] [ĩ lı° pog] veldae [Do.] veledę *A** ‖ 93 Callice] Gallice *A* ‖ 94 Nunc] Hunc *A* ‖ 96 honorem] honora *A* ‖ 99 Verba]

herba *α* ‖ 99 quidcunque] quodcunque *A* ‖ 102 Dicteam] Dictamni *A* ‖ 102 inflorentis] florentis *A* ‖ 105 carpsit] Do. carpsi *α* ‖ 108 monstratque] monstrātque *α* ‖ 112 aste refertus] arte refectus *A* ‖ 114 Sena] Seua *α* ‖ 116 Sic] Sit *α* ‖ 118 tenor] timor *A* ‖ 118 her&] herens *α* ‖ 121 Tymbra] Cÿmba *A* ‖ 125 uitalis] natalis *A* ‖ 125 troia] troica *A* ‖ 129 pręst&] pręstent *α*.

5 tit. Claudii Etrusci balneum] Balneum claudii Etrusci *A* ‖ 4 tegees honore] tegeęe sonore *α* ‖ 12 gemantia] gēmantia *A* ‖ 15 liquidos] liquidosque *A* ‖ 15 a uertice] a uertite *A*, aduertite *et in marg.* c̊ aduertere *α uel al. man.* ‖ 18 amantes] amantis *α* ‖ 21 crebre cnydos] [.Do.] crebenidos *A* ‖ 27 iuga] uaga *A* ‖ 27 mobilis] molibus *A* ‖ 28 Cessit] Crescit *A* ‖ 29 nulli] [Do.] molli *A* ‖ 30 non nunq{uam}] non unq{uam} *A* ‖ 32 arces] artes *A* ‖ 33 succedit] succēdit *A* ‖ 36 nomasis] Do. nomadum *α* ‖ 38 lucentibus actis] liuentibus atis *α* ‖ 39 Quoque] Quęque *α* ‖ 40 uiridis] uiridi Do *α* ‖ 40 longo] longa Do *α* ‖ 41 discinctum] distinctum *et in mg.* c̊. distinctu *α* ‖ 41 modo] nō *A* ‖ 41 lumina] limina *α* ‖ 43 animoque] *suprascr.* P. (= *Poggii liber*) mos .Do. *A** ‖ 47 tibi] ibi *A* ‖ 52 pater (summo pater omnis ab imo)] patet *A* ‖ 53 & soluere] exsoluere *A* ‖ 59 hipocausta] hypocausta *A* ‖ 65 distat] discat *A*.

6 8 parthen] c̊ -cem [.do.] -do *α*, p ///// [c /// og (*h. e.* cod. pog)] *A** ‖ 10 Iam uelaria borea] In li° poggii sic ẽ: Iam velaria linea | Do. Iam bellaria A⟨dorea⟩ *A** ‖ 12 Quicquid] Quitquid *A* ‖ 12 Micetis] nucetis *A* ‖ 13 idumnes] idumes *A* ‖ 15 quod] quo *et in marg. sin.* Do. quas *A* ‖ 15 pręcoquit] percoquit *A* ‖ 16 cad&] cadit .Do. *α* ‖ 17 gaioli] caioli *α* ‖ 18 Amerianon] Amerina non *A* ‖ 18 perustis] perustus *A* ‖ 20 Pręgrandes] ı li° poggii pregnātes *A** ‖ 26 merentur] minetur *A* ‖ 29 species] specie *α* ‖ 32 Subnectant] Subvectant *A* ‖ 36 aliis semel] alis insemel *A* ‖ 36 togatis] togatas *A* ‖ 38 nescit] Do nescis *α* ‖ 39 compera] compara *A* ‖ 43 nascimur] uescitur *A* ‖ 46 quando] [.Do.] quin *α* ‖ 54 cupit] capit *A* ‖ 67 hemi] emi *A* ‖ 70 timentes] tumentes Dom *A* ‖ 71 tynniculęque] tynnulęque *A* ‖ 73 senica] scenica *A* ‖ 73 quinque] quique *α* ‖ 78 astro] austro *A* ‖ 80 temperantur] comparantur *A* ‖ 99 aeno] aeuo *A*.

Lib. II

tit. Stati] Statii *A*.

troięque] troię q{uam} *A* ‖ 150 dictarit] ditarit *α* ‖ 152 lirę] lyrę *A* ‖ 153 Obsitus] c̊ Ibycus *A* ‖ 153 alcinam] alcman *A* ‖ 155 calchide] qdñ leucade *α* ‖ 157 bacchiadę] battiadę *A* ‖ 168 liris] [.D.] laris *α* ‖ 168 crine] cÿme *A* ‖ 174 canebant] canebat *α* ‖ 178 oport&] .D. opertę *α* ‖ 180 probare] probatur [.ī ātiq°.] *A** ‖ 181 Monstratis] Monstrastis ī antiquo *A** ‖ 181 aliis] halis *α* ‖ 183 lateat] [.D.] lanea est *α* ‖ 188 condita] pontica *A* ‖ 192 felix] fęnix *A* ‖ 199 duorum] .D. Deorum *A* ‖ 202 flumina] fulmina *A* ‖ 204 annuat] annuit *α* ‖ 207 morte] mōtē *α* ‖ 209 luctataque] [.Do.] lustrata [.āt.] luota *A** ‖ 212 q{uam} uos debere parenti] .D. corrigit. q{uan}tum ostendere parenti *α* ‖ 213 Sed] Sit *α* ‖ 213 funusque] primusque *A* ‖ 215 erat] eras *α* ‖ 219 Qãuis ille dies] [āti.] Quam τuus [.c̊. tuisque] | [.Do.] Qualis et *A** (*cf. p. 38—39*) ‖ 220 conspectat] cum spectat *A* ‖ 222 Acates] [.Do.] Acetes *A* ‖ 223 hausti] [.Do.] haustu *A* ‖ 225 quid] quod *A* ‖ 232 qua] [.c̊.] qui *α* ‖ 233 raperes] caperes *et in marg.* [.Do.] caneret *A* ‖ 234 Thebai] Thebais *A* ‖ 234 surgebant] c̊ surgebat *α*, urgebat *A* ‖ 237 rursus] .D. cursus *α* ‖ 237 lumine rursus] limice uersus *A* (*cf. p. 91 sq.*) ‖ 240 mihi] tibi *A* ‖ 241 subiungere] seiungere [Do.] si iungere [po.] *A** ‖ 244 alit] alię *A* ‖ 249 dicitis] dictis *A* ‖ 251 Index] Iudex *A* ‖ 253 munus] nimius *A* ‖ 253 crinisque] trinisque *α* ‖ 256 uideri] uidere *A* ‖ 257 lethei] leti tibi *A* ‖ 258 segnes] segnis *α* ‖ 259 permisit] premisit *A* ‖ 260 inhers] iners *A* ‖ 263 nouit] [ant.] uouit *A** ‖ 265 parat] pater *A* ‖ 268 danais] danaas *A* ‖ 269 *om.*] in *A* ‖ 271 Sic] Si *et restit.* Sic *α*, *et* Si .D. *ita margini adscriptum, ut et ad u. 271 et ad u. 272 spectet α* ‖ 272 sic] si *et restit.* sic *α* ‖ 273 retro] [.Do.] terrā *A* ‖ 273 philacridis] philaceida *A* ‖ 273 attulit] .D. rettulit *α* ‖ 274 exhorr&] exor& *A* ‖ 274 &] aut *A* ‖ 277 aethneaque] aetneaque *A* ‖ 278 Sic] [.Do.] Si *α* ‖ 280 Centaurusque] Centaurus *α*, Centauros *A* ‖ 280 graues] greges *A* ‖ 281 Auersęque] Auersę *α* ‖ 281 cadent] celent *et in marg.* [.Do.] cedāt *A* ‖ 283 compon&] componat *A* ‖ 289 monstrat] monstra .D. *α* ‖ 290 Qua] D. Quę *α* ‖ 293 ausonius] ausoniis *A* ‖ 293 nec] [.Do.] et *A*.

4 tit. Ad Somnum] Somnus *A* ‖ 8 otheę] oetheę *A* ‖ 8 recusent] reuisent *et in marg.* [D] reuisūt *α* ‖ 19 leuior] leuiter *A*.

5 tit. Ad Musas] Epicedion ī puer{um} suū *A* ‖ 5 pęan] pęnam *A* ‖ 7 Non] Num *A* ‖ 8 tantis] c̊ tantus *a* ‖ 8 morientibus] [.Do.] meroribus *A* ‖ 8 lacertis] [.Do.] lacessit † [anti.] lacescis *A** ‖ 9 tenes] tenēs *A* ‖ 12 plausibus] [.D.] planctibus *a* ‖ 14 cineresque] cinerēque *A* ‖ 14 carmina] [ı ant.] crimina [nō p{ro}bo] *A** ‖ 14 ferte] c̊ ferto *A* ‖ 17 papillas] [.D.] fauillas *a* ‖ 19 iuuenum] iuuenem *A* ‖ 20 malas] [.D.] flammas *a* ‖ 24 ⟨codex uet⟩ustus ītercisos h̄t hos uersus ////// co{r}rigēdos *A** (*haec nota spectat ad uersus 24, 25, 26, 27 id quod apparet e litteris* .a., .b., .c., .d. *supra lacunas in his uersibus exstantes scriptis*) ‖ 24 in ...... ter] m ...... ter *A** ‖ 25 tumulo luctus] antiq{us} h̄t tumul uctus *A** ‖ 26 in ...... singultantia] m ...... singultantia *A** ‖ 27 Mollior] Molior *a* ‖ 27 orsa .... est] vetustus codex h̄t. lÿ - - - đ ıñ (*h. e. deinde*) est (lÿ *etiam in uerborum contextum post* orsa *inscr.*) *A** ‖ 29 uitatus] uictatus *A* ‖ 29/30 *in marg. sin.* | dex*(?)* {ex}hibet(?) atque *uel* aeque *A*[1]) ‖ 31 ignauo] nec eburno [antiq] *A** ‖ 34 incomite] incompte *a* ‖ 37 manabat] manabit *a* ‖ 38 qui totiens] quotiens [ātiq{us}] *A** ‖ 38 blando] [.Do.] blandus *a* ‖ 45 gratis] grates c̊ [cas (= *conicias*) casus] *a* ‖ 46 cur] cū *A* ‖ 46 domus] [.Do.] domans *A* ‖ 46 moestus] [.Do.] questus *A* ‖ 47 Increpitans] Increpito .Do. *A* ‖ 47 qui] [.D.] tunc *a* ‖ 47 dolens] .c̊. doles *a* ‖ 47 repone] repono D *A* ‖ 48 serua] seruo Do *A* ‖ 50 flumine] fulmine *A* ‖ 51 nox] uox *A* ‖ 52 moestus] moestū *a* ‖ 53 a duro] c̊ ah durus *A* ‖ 53 mihi] [āti.] sı [.Do.] sic *A** ‖ 55 tibi] sibi *A* ‖ 58 rependis] *suprascr.* sic ātiq *et in marg.* c̊. reprendis. [.Do.] Reprēdit *A** ‖ 63 Fulmina] Flumina *A* ‖ 64 Cum] Qā *A* ‖ 64 uoles] uetes *A* ‖ 67 Ede tuas] Aedituas *A* ‖ 68 summum] sumum *et in marg.* al Simium [.Do.] [nō p{ro}bo] *A* ‖ 73 artus] ortus *A* ‖ 74 heu] c̊ cum *a* ‖ 75 Rideres] .D. Ridebas *a* ‖ 75 penetrauerit] properauerit *et in marg.* [.Do.] properauerat *A* ‖ 76 perder& omnem] In ātiq° deest omnē *A** ‖ 77 horridus ipse] [.Do.] ipōs In ātiq° deest ipsos *A** ‖ 78 infaustaque] iniustaque *A* ‖ 79 cespite] sospite *A* ‖ 80 Concupii] [.Do.] Non

1) initium recisum est. fortasse 'asque' scripsit Politianus spectans ad 'hilaresque' (u. 30). quod si recte suspicamur, 'hilarasque' in Poggii codice scriptum fuit.

cupij *A* ‖ 80 gemitum] ĉ genium *A* ‖ 81 Implicuit fixitque] ĉ implicui fixique *a* ‖ 83 nostra] destra *A* ‖ 84 iam iamque ....] deest r{e}liqum hui{us} v{er}siculi ī ātiq° codice [.Do.] Nitantes [nō p{ro}bo q{ui}a nictus pri⟨mam syllabam⟩ h̄t lōgā] *A** ‖ 84 sinus] .ĉ. sinis *a* ‖ 85 arescere] accersere *A* ‖ 86 tenebo] tenello Do *A* ‖ 87 e] a *A*.

Incidi in exemplar statij sÿluar{um}: quod ex Gallia Poggius, Gallica scriptum manu: in Italiam attulerat. A quo videlicet[vno]licet mendoso deprauatoque: et (vt arbitror) etiam dimidiato: reliqui omnes codices, qui sunt in manibus, emanarunt. Quare, Cautio mihi fuit: ne quid in corrigendo hoc nostro: ab illo mutarem. Ne nimia (vt adsolet) diligentia: aut mihi aut ceteris studiosis noceret. Quem si modum tenerent, ceteri librorum emendatores, tenuissentque: priores Minus multo laboris in hac re q{uam} nunc habemus haberemus. vale qui legis: et quod sedulo fecimus: quęso Boni consule.

Tuus Angelus Politianus.

NOTARVM TABVLA

A* = lectiones exemplari Corsiniano adscriptae, quas e Poggii codice se deprompsisse diserte testatur Politianus

A = ceterae lectiones eodem quo notae A* atramento exemplari Corsiniano a Politiano adscriptae
pro A* et A propter difficultates quasdam typographicas inde a pag. 112 impressum est *A** et *A*.

α = lectiones alio atque notae A* atramento a Politiano adscriptae

⌊ ⌋ his uncis saepsi uerba supra lectiones, ad quas spectant, in codice exstantia.

⌈ ⌉ uerba quae his uncis seclusi infra lectiones scripta sunt.

{ } litterae his cancellis saeptae per compendium scriptae sunt. ('que', quod persaepe per compendium scriptum est, his uncis non instruxi, quoniam parum interest, quomodo haec particula sit scripta).

////// indicat litteras quae tantopere euanuerunt, ut non possint discerni.

⟨ ⟩ litterae his uncis seclusae cum margine recisae perierunt.

numeros uersuum etiam in praefationibus attuli secundum Klotzii editionem, non secundum editionem principem.

INDEX LOCORVM ACCVRATIVS TRACTATORVM

TABVLA ARGVMENTI

ADDENDA ET CORRIGENDA

p. 32 lectionibus **A*** a Matritensi discrepantibus adde
V 5, 24 m . . . . . . ter **A*** m . . . . ter **M**

p. 58 u. 13 pro 'Politano' lege 'Politiano'

p. 61 u. 4 pro 'atramentnm' lege 'atramentum'

p. 98 u. 22 'e' supra 'c.' posita intercidit

p. 107 u. 3 ab inf. marg. 'rarissima' falso cursiuis litteris impressum est.

ANALECTA LAERTIANA

PARS SECVNDA

SCRIPSIT

EDGARUS MARTINI

PHIL. DR.

Anno MDCCCLXII Carolus Lehrsius *Mus. Rhen.* vol. XVII p. 453 sqq. (cf. *Pindarscholien* [Lips. 1873] p. 159 sqq.) insignem illam publicavit commentationem qua libellum *De viris sapientibus eruditionis fama claris* qui Hesychii Milesii praenobili nomine circumfertur nihil aliud esse nisi vilem conglutinationem excerptorum ex Laertii Diogenis et Suidae operibus factorum cui, quo commendabilior fieret, illustre Hesychii Illustrii nomen praepositum esset certissimis evicit argumentis. idem vir doctissimus libellum de quo agimus praeclara illa aetate qua litterae artesque in Italia ad novum inauditumque florem perductae sunt ortum esse — etsi dubitanter — coniecit. quam opinationem plurimi ex hominibus doctis noviciis amplexi sunt: e. gr. Christius *Hist. litt. graec.*[3] p. 843 not. 2 et Krumbacher *Hist. litt. byz.*[2] p. 324; improbavit unus, quod sciam, Flachius praef. ed. *Ps. Hesychii* (Lips. 1880) p. XI qui innisus codicum personati Hesychii vitiis quibusdam, quorum origo ex male intellecta saeculi XI aut XII scriptura repetenda esset, libelli subditicii auctorem saeculo XI aut XII fuisse contendit. hanc virorum doctorum controversiam quod nobis dirimere licet, gratia habenda est faustae fortunae quae nobis, cum proximo auctumno Romae versaremur, codicem saeculi XIII (vel XIIII ineuntis) qui Hesychii adsimulati opusculum contineret ad manum tradidit. cum vero ne hic quidem codex qui omnibus libris qui novissimo editori innotuerant multo vetustior est primum exemplum scriptionis Ps. Hesychianae sit, hoc ipsum ad tempus codice nostro superius referendum esse elucet. hac autem ratione devenimus ad aetatem renatis in Italia litteris artibusque priorem. re ita comparata patet Lehrsianam coniecturam reiciendam statuendumque esse libellum falsi Hesychii ante regenerationem litterarum per Italiam factam nescio quo Graeciae loco — credo in ipso Byzantio —

confectum esse. haec de aetate libelli in praesentiarum satis sunto: de cuius origine infra adcuratiora proferemus, cum codicem a nobis protractum descripserimus quantumque ad Ps. Hesychii contextum rectius constituendum valeat exposuerimus.

Codex autem ille est *Vaticanus graec.* 96 (nobis Φ), bombycinus formaque quarta. quo tempore exaratus sit ambigitur. etenim vir doctus qui catalogum librorum manu scriptorum bibliothecae Vaticanae composuit eum saeculo XIII attribuit, cum Hinckius *Polem. declam.* (Lips. 1873) praef. p. IV de saeculo XIV cogitet. me si audis liber Φ aut exeunte saeculo XIII aut ineunte saeculo XIIII perscriptus est: ad inferius tempus certo non pertinet. liber a capite ad calcem ab uno librario, sed non uno tenore ut videtur conscriptus est. rubricatoris munere functus est ipse scriba qui etiam margines libri notulis maxime argumentum tractatum indicantibus opplevit. correctoris in illa parte qua Ps. Hesychii opusculum exhibetur vestigia inveni nulla. continet codex Vaticanus variorum scriptorum opera maximam partem in breviorem formam redacta. en tabulam argumenti:

I) *Φιλοστράτου ἐπιστολαὶ ἐρωτικαί.* praebentur epistulae 3—64 (cf. *Philostr. opp.* ed. Kayser vol. II praef. p. XIIII). fol. 1r sqq.

II) *Πολέμωνος σοφιστοῦ λόγοι δύο ἀντίδικοι.* sunt illae in Cynegirum et Callimachum declamationes (cf. Hinckium l. l. p. IV). fol. 11r sqq.

III) *Ἡσυχίου Μιλησίου περὶ τῶν ἐν παιδείᾳ διαλαμψάντων σοφῶν.* fol. 19r sqq.

IV) *Λαερτίου Διογένους βίων φιλοσόφων τόμος ᾱ* et *τόμος β̄.* excerpta ex Laertii scriptione de quibus alio loco prolixius disputabimus. fol. 29v sqq.

V) non nulla clarorum virorum (velut Dionysii I. Syracusanorum tyranni, Demonactis, Alcidamantis) dicteria nullo fontis indicio ornata. fol. 88r sqq.

VI) *Ἡροδότου βίος Ὁμήρου.* excerptum ex [Herodoti] *De Homeri orig. et vita libello.* fol. 88v sqq.

VII) *Φιλοστράτου βίοι σοφιστῶν.* epitome Philostrati *De vitis sophistarum* libri (cf. Kayserum l. s. i. p. VIIII). fol. 89^{r} sqq.

IX) *Ἀρχαιολογία Ἰωάννου Ἀντιοχέως ἔχουσα καὶ διασάφησιν τῶν μυθευομένων.* frustum historiae universalis Ioannis Antiocheni (cf. Krumbacherum l. s. c. p. 334 med.). fol. 99^{r} sqq.

X) *Ἀγαθίας.* sub hac inscriptione promuntur excerpta ex Agathiae libro *Περὶ τῆς Ἰουστινιανοῦ βασιλείας.* fol. 104^{r} sqq.

XI) *Αἰλιανοῦ ποικίλη ἱστορία.* excerptiones ex Aeliani *Var. hist.* fol. 114^{v} sqq.

XII) *Τοῦ αὐτοῦ περὶ ζῴων ἰδιότητος.* selecta ex Aeliani *De natura animalium* opere. fol. 132^{r}—229^{r}.

Delineata codicis *Φ* imagine iam anquirendum est quaenam ratio inter eum et illos Ps. Hesychii libros quos Flachius l. l. p. III sqq. enumeravit stiloque sane quam exili descripsit intercedere videatur. sunt nimirum hi codices:

I) *Laurentianus gr.* plut. LIX 37, chartaceus, forma oblonga, saeculi XV (**B**). continet non nullas orationes Dionis Chrysostomi, Isocratis orationem paraeneticam et adversus sophistas, Polemonis declamationes in Cynegirum et Callimachum, Hesychii adsimulati libellum, denique excerpta ex Philostrati vitis sophistarum. praeter librarii manum perpaucis locis correctoris alicuius (B^{2}) deprehenduntur vestigia.

II) *Parisinus gr.* 3035 (Colbert. 4432), chartaceus, forma quartanaria, saeculi XVI, non ut Flachius adfirmat saeculi XV (**C**). confectus est a quinque librariis. continet autem excepto frusto Plutarcheo manu quarta exarato tantum modo Byzantinae aetatis scripta (cf. tabulam argumenti ab Omontio in cat. cod. graec. Paris. propositam). quorum scriptorum ea hic referre satis erit quae ad manum alteram cui quidem Ps. Hesychius debetur revertuntur. sunt haec: fol. 20^{r}—24^{v} anonymi fragmentum de Russis ad Christianam fidem conversis initio mutilum; fol. 25^{v}—27^{r} Epiphanii Cyprii *περὶ τῶν ιβ̄ λίθων* libellus; fol. 28^{r}—31^{r} med. Agathiae historiarum fragmentum; fol. 31^{r} med.—35^{v} Ps. Hesychii opusculum, cui inscriptum est *νσιχίου μιλισύου ἰλλουστριου περὶ τῶν ἐν παιδία*

διαλλαμψάντων σοφῶν. neque vero integrum Ps. Hesychii libellum exscripsit librarius, sed solas quindecim primas vitas prioremque vitae sextae decimae partem (desiit in verbis *βασιλεῖ Περγάμου* = p. 14, 1 Fl.). scatet adfluitque haec codicis pars foedis turpibusque scripturae mendis adeo ut librarium in transscribendis vitis Hesychianis ultra caput XVI progressum non esse vix sit quod doleas.

III) *Palatinus gr.* 129, chartaceus, saeculi XV vel XVI (**D**). hunc codicem Flachius l. c. p. IV inter plurimas Laertii Diogenis Philostratique excerptiones quattuor vitas personati Hesychii exhibere testatur.

IV) *Laurentianus gr.* plut. LXX 14, chartaceus, saeculi XVI exeuntis (**A**). complectitur unum falsum Hesychium manu Christoferi Rufi exaratum.[1])

---

1) De hoc humanista doctissimo consule Flachium l. c. p. IV not. 1. ad testimonia de Christoferi vita ab eo conquisita addenda est epistula quaedam Pauli Manutii Christofero missa (cf. *Epist. Pauli Manutii* l. VII 4 p. 393 ed. Venet. 1558) quam cum prorsus novum de illius viri docti vita nos edoceat hoc loco proponere conducat praesertim cum adcurata syllogae epistularum Manutianarum exempla rarissima sint.

Pendebam animi nec satis constituere poteram plusne voluptatis ex discessu tuo caperem an molestiae. voluptatem afferebat illa ratio, quod erudire artibus egregiis adolescentem illustri loco natum, quam tu curam suscepisti, primum, ut ego sentio, dignitatem habet; deinde fructum ex eo te posse colligere intelligebam, non illum quidem tua cum industria et virtute conferendum, attamen eum, qui pro malis temporum non omnino contemnendus esse videatur. quodsi otium quaeris, vel ut aggrediare ad scribendum vel ut ea quae iam habes instituta perpolias, isto fortasse loco nihil aptius aut accomodatius ad tua consilia reperies. nam in urbe Roma, etsi nihil obstat, quo minus arbitratu suo quisque vivat, interpellatores tamen quandoque non desunt, honesti illi quidem rectisque dediti studiis, interpellatores tamen. haec erant, quae mihi de te cogitanti laetitiae non parum afferrent. rursus, cur non dolerem, cum hic te multi, ipse multos diligas, carere nos tua consuetudine, te nostra? tuam vero non vulgarem doctrinam, cui quidem ego semper, a quo primum die tua scripta vidi, debitum voce mea testimonium persolvi, in hac luce et celebritate versari, ubi cognita decoretur, quis, qui te vere atque ex animo amet, non vehementer cupiat? hanc mihi molestiam prope omnem et ancipitem sane curam eripuit epistola tua. quod enim tu studiis tuis otium exoptare videbaris, eo te istic

Hi libri qua ratione cum codice *Φ* copulati sint declarandum est. incipiamus a libro C. quem recto itinere e teste *Φ* profluxisse luculentissima exstant indicia. maxime autem notabilis est locus p. 5, 18 ubi C pro voce ἀγαθῶν praebet lectionem sensu plane cassam αἰθὼν. quae quem ad modum subnata sit unus nos edocere potest codex *Φ*. cuius librarius quidem recte pinxerat ἀγ͞αθ (= ἀγαθῶν), sed post tinea ut puto chartam perforavit ut pristinae scripturae haec tantum restarent ἀ͞ιθ: unde C elicuit illud αἰθὼν. quamquam vereor ne lucernam in diem proferre dicar, tamen etiam aliam libri C adponam lectionem unde eum ex *Φ* provenisse patescit. praebet enim C p. 4, 7 ἀλφὲ pro Ἀλφεόν. iam cum *Φ* evolvimus, in eo scriptum videmus illud nomen ἀλφε (= ἀλφεόν): quod compendium scriba C qua erat stultitia haud perspexit.

A codice C transimus ad librum B qui integrum personati Hesychii opusculum continet. hunc ipsum quoque cum teste *Φ* cognationis quodam vinculo ligatum esse qui vel eius tabulam argumenti cum iis quae *Φ* complectitur comparaverit coniciat. nam ut in hoc, item in B Ps. Hesychii libellum praecedunt Polemonis declamationes, secuntur excerptiones ex Philostrati opere *De vitis sophistarum* factae. certius vero ratio quae inter utrumque librum intercedit definiri potest contextu codicis B adcuratius examinato. neque tamen necesse est omnia ea referri menda scripturae quae B cum *Φ* communia habet — sunt quidem plurima —, sed satis erit duos indicare locos e quibus librum B ad testem *Φ* reverti clarissime

---

iucundissime perfrui nec urbis desiderio admodum laborare facile conieci: itaque vide quam libenter animum meum ad tuam voluntatem accomodem. idem si ad me saepe scripseris, quod ita expeto, si modo fieri tuo commodo possit, abesse te laetabor, cum ea tamen spe, ut aliquando nos revisas, tum scilicet, cum rationes tuae patientur. idem sentit, idem vult Octavius noster, idem etiam Sirlettus cardinalis, qui viri ornamenta et lumina nostrorum temporum. quibus te esse ac fore semper carissimum non dubito quin et tibi persuadeas et id in magna tuae felicitatis parte ponas. vale. Romae, IV Id. Apr. MDLXV. ex hisce litteris cum alia discimus, tum Christoferum Rufum ante annum MDLXV aliquantum temporis Romae versatum esse.

adparet. quorum locorum prior idem ille est qui nobis commodum in retegenda codicis C origine tanta fuit utilitate: p. 5, 18. hic teste Flachio B praebet ἀγαθῶν[1]), reapse autem habet ἀνθῶν: quae corruptela ex una codicis Φ scriptura ἀλθ orta esse potest.[2]) alter locus est p. 45, 16 ubi B[1] dedit λίξον pro λίτρον, quod in Φ sic exaratum est: λίʒον. tamen graviter erraret, qui codicem nostrum ex ipso Φ descriptum esse censeret. quod ne statuamus duae si quid video repugnant libri B lectiones. qui p. 11, 1 pro ὅθ' οὕνεκα, quod in Φ legitur, exhibet ὅθ' οὕενακα, p. 19, 6 autem pro ξέρξην, quod in Φ prostat, ξερξήνου. haec monstra scripturae qui acrius intuitus erit, dubitare non poterit quo modo enata sint. nempe priore loco in exemplo codicis B inveniebatur ὅθ' οὕ[ε] νακα (superaddiderat scilicet corrector litterulam ε ut legeretur ὅθ' οὕνεκα), altero autem loco scriptum erat ξέρξη[ου]ν (restitui voluit corrector ξέρξου quod sententia loci flagitat). quibus variis lectionibus cum Φ prorsus careat, librum B non ex ipso Φ, sed ex apographo eius in quo istae correctiones reperirentur deductum esse iudicandum est.

Codicis B orgine exposita proximum videtur esse ut in eum codicem inquiramus quo innititur princeps editio

---

1) Adparatus criticus quo Flachius Hesychium suum instruxit plane nihili est. praeterquam enim quod in eo res graviores vasta farragine rerum inutilium levidensiumque obrutae sunt, lectionum librorum nulla omnino fides est. de codice B Flachium falsa referre initio divinabam tantum, mox mihi probavit *Aloisius Galante* Florentinus adcurata potiorum codicis B locorum transmissa conlatione, pro qua viro doctissimo humanissimoque hoc quoque loco gratias quam maximas agere pietatis esse duco. sed ne codicis C quidem scripturae a Flachio memoratae dignae sunt quibus ulla fides adiungatur. inspexit hunc librum mea causa plerisque locis *Drerupius* meus a quo didici eum praebere e. gr. p. 2, 9 λόγων (non διαλόγων ut auctor est Flachius), p. 11, 1 ὅθ' οὕνεκα (non ὅθ' οὕενακα), p. 12, 12 ο[ηο]νν (non ὁ νηὸν). contra codicem A a Flachio satis diligenter conlatum esse mihi testatus est Galante.

2) Cum librarius C secundam fragmenti ἀλθ litteram pro ι accepisset, scriba B (vel potius eius exemplaris auctor) in ι inesse ratus est litteram ν (ν).

Hesychii personati ab Ioanne Sambuco Pannonio Antverpiae anno 1572 publicata (nuncupamus eam Σ).[1] hanc editionem ex nullo eorum codicum quos nos tenemus, sed ex codice aliquo recentissimo qui maxima foedissimorum vitiorum multitudine turpatus erat expressam esse suo iure posuit Flachius l. c. p. VIII. qui liber — adpelletur S — quo pertineat facili negotio pervidebit quicunque hasce editionis Sambucianae lectiones perpensitaverit: p. 3, 7 ἀργυρωρήτω ΣΒ pro ἀργυρωνήτω ΦCA; 5, 3 ὑπολειπόμενος ΣΒ pro ὑπολιπόμενος ΦCA; 18 ἀνθῶν ΣΒ: ἀγαθῶν primo, nunc ἁ ιθῶν Φ αἰθὼν C ἀγαθῶν A; 11, 1 ὅθ' οὕνεακα ΣΒ pro ὅθ' οὕνεκα ΦCA; 9 ὀνειδιζόμενον ΣΒ pro διαγωνιζόμενον ΦCA; 12, 12 ὄνησυν Σ 13: ονηουν Φ $\overset{ηο}{\text{ονυν}}$ C ὁ νηὸν A; 15, 10 ξυνείρησεν ΣΒ pro ξυνείρυσεν ΦA (C a p. 14, 1 mutus); 12 λύσαι ΣΒ pro λύσας ΦA; 19, 6 ξερξήνου ΣΒ: ξέρξην ΦA; 20, 13 φαγόντα ΣΒ pro καταφαγόντα ΦA; 17 μιμητὴν ΣΒ pro κυκητὴν ΦA; 22, 5 ἰατροῖς ΣΒ pro ἰατρικοῖς ΦA; 21 ἐξαναστάντα ΣΒ pro ἐξαναστάς ΦA; 24, 19 ὑδέρυ ΣΒ pro ὑδέρω ΦA; 25, 7 δίζευσθαι ΣΒ pro δίζεσθαι ΦA; 26,3 οὐδὲν ΣΒ pro ὁδὸν ΦA; 29, 4 καὶ κλέψειν τε ΣΒ pro κλέψειν τε ΦA; 30, 17 οἴμοι τί δῆτα ΣΒ' text. (mg. corr. τί δ' οἴμοι) pro οἴμοι τί δ' οἴμοι ΦA; 34, 11 τὸν ἥλιον ΣΒ pro τὸν μὲν ἥλιον ΦA; 35, 1 ψηφίσματα ΣΒ pro ψήφισμα ΦA; 37, 10 ὡς ὑπόπια ΣΒ pro ὥσθ' ὑπώπια ΦA; 40, 13 ἐπίπρακον ΣΒ pro ἐπίπρασκον ΦA. hisce lectionibus commovemur ut exemplar editionis Sambucianae apographum codicis B fuisse existimemus.

Paucis transigere licet cum libro D, qui quattuor solum modo Hesychiani opusculi vitas conservat. quae cum et plane concinant cum codicis Φ memoria et cum illis Laerti Philostratique excerptis quae in libro Φ Ps. Hesychii libellum inse-

1) Flachium Sambucianam editionem manibus trivisse non credo. alioquin nec tam falsa de eius lectionibus adnotavisset nec eam dicatam esse Maximiliano imperatori hariolatus esset. hoc ut corrigam, v. d. Pannonius libellum suum misit Augerio a Busbekh, oratori et consiliario Maximiliani II.

cuntur coniunctae sint, dubium esse nequit quin librarius D aut ipso codice *Φ* aut apographo eius usus sit.

Restat ut de teste A videamus quem Flachius tanti aestimabat ut in eo contextum Hesychianum inaedificare haud vereretur. quodsi ad certum iudicium de huius libri origine indoleque pervenire voluerimus, adcurate nobis eius memoria cum codice *Φ* conferenda erit. tamen me continebo in iis partibus examinandis quas adsimulatus Hesychius ex Laertii opere arcessivit. ac primum quidem aliquam multos exstare videmus locos ubi A cum universis Laertii codicibus verum exhibet, cum *Φ* (adstipulantibus nimirum libris BCDΣ quos iam missos facere licet) depravatam praebeat lectionem. praecipui loci sunt hi: p. **2**, 9 *διαλόγων* A *L. D.*: *λόγων* *Φ*; **4**, 14 *τόν τε ἠθικὸν* A *L. D.*: *τό τε ἠθικὸν* *Φ*; 15 *ὑπογεγράφθαι* A *L. D.*: *γεγράφθαι* *Φ*; **6**, 16 *αἰτιολογώτατος* A *L. D.*: *αἰτιώτατος* *Φ*; 21 *οἰκονομεῖσθαι* A *L. D*: *κινεῖσθαι* *Φ*; **7**, 7 *ὁ Ἑρμῆς* A *L. D.*: *θέρμης* *Φ*; **8**, 5 *ἀλλ' ἔθανες φθισικός, τάχ' ἐρεῖ τις ἴσως* A *L. D.*: om. *Φ*; 22 *πλείονος* A *L. D.*: *πλεῖον* *Φ*; **12**, 14 *καὶ τραπέζης* A *L. D.*: om. *Φ*; **17**, 20 *οὖσαν* A *L. D.*: *οὐσίαν* *Φ*; **24**, 10 *πάντων* A *L. D.*: *ὑδάτων* *Φ*; **28**, 2 *ἀτραπιτός* A *L. D.*: *ἀταρπιτός* *Φ*; **32**, 14 *φέρεσθαι* A *L. D.*: *φαίνεσθαι* *Φ*; **33**, 2 *ἐκ τούτων* A *L. D.*: om. *Φ*; **34**, 1 *πηλῶδες* A *L. D.*: *σπιλῶδες* *Φ*; **38**, 2 *λαχάνιον — ταρίχιον* A *L. D.* (ni quod apud Laertium γ *παρίχιον* *B* *ταρείχιον* praebet): *λάχανον — τάριχον* *Φ*; **42**, 12 *τέττιξιν* A *L. D.*: *τέττιξ* *Φ*. alia mitto. subnascitur quaestio qua ratione hic tantus codicis A cum libris Laertianis consensus explicandus esse videatur. potest de duabus rebus cogitari: aut servavit A illis locis probam veterem memoriam aut Christoferus Rufus ope libri alicuius Laertiani contextum Ps. Hesychii emendavit. illud verum esse contendit Flachius. nos ut contrarium statuamus compellimur eo quod in contextu codicis A hic illic vitiosae lectiones occurrunt quae nisi in recentissimis Laertii libris (exeuntis saeculi XV) non comparent: e. gr. exhibet A p. 21, 13 *φυσικὸς* cum unis KZM Laertianis (*φυσικῶν* recte BPLD Laertii et *Φ* Ps. Hesychii); p. 21, 20 *οἶσιν*

cum unis KZM Laertii (πρῶτος BLD Laertii et Φ Ps. Hesychii, πρῶτον P Laertii); p. 35, 13 ἐπισκώπτης cum unis MHmg Laertii (ἐπικόπτης recte BPVF Laerti et Φ Ps. Hesychii, ἐπικόπτης L Laertii); cf. etiam p. 17, 15 ubi A praebet τοιούτων τινῶν περιφερῶν: consimiliter KZM Laertii τοιούτων τινῶν καὶ περιφερῶν (τοιούτων λείων καὶ περιφερῶν recte Laertii B[2]P[1]D, τοιούτων λίων καὶ περιφερῶν B[1], τοιούτων δι᾿ ὧν καὶ περιφερῶν Φ Ps. Hesychii, τοιούτων δινῶν καὶ περιφερῶν LP[3]). haec opinor menda omnibus quicumque oculis recte uti didicerunt dilucide commonstrant hoc: Christoferum Rufum unum ex recentissimis Laertii Diogenis libris ad contextum Hesychianum quem descripturus erat corrigendum adhibuisse. ex hoc libro quin etiam lectiones quas modo p. 154 med. congessi accitae sint serio dubitari non potest. praestitit igitur Christoferus idem fere quod aequalis eius Hadrianus Iunius perfecit qui verba graeca editionis Sambucianae non solum cum Laertii editione Frobeniana sed etiam cum eximia Sambuci versione Laertii Antverpiae anno 1566 emissa, in cuius margines prolixa lectionum varietas effusa est, diligentissime contulit graviorem quam invenerat lectionum discrepantiam sedulo enotans (cf. Ps. Hesych. ed. Samb. p. 2 p. 62 sqq,). neque mirabile est Christoferum rem sic instituisse quippe qui usque eo non esset merus rudisque librarius qui parvula mercede proposita raptim apographum imperatum conficeret, ut homo esset litteratus doctusque qui editionem pararet fautori principi consecrandam. sed de libri A cum codicibus Laertianis mira concordia haec hactenus.


Neque vero iam omnes quae inter testes A et Φ exstant differentiae exhaustae sunt. restant enim considerandae non nullae lectiones quas sicco quod aiunt pede transilire non est fas. sunt quidem hae: **5**,5 τοπικὰ A: ὀπτικὰ Φ cum omnibus libris Laertianis; **6**, 12 βασιλεῦσιν A: βασιλεῖ Φ cum omnibus l. L.; **17**, 21 παρακούοντες A: παρακούσαντες Φ cum omnibus l. L.; **28**, 7 βάθος τῆς ἑρμηνείας A: βάρος τ. ἑ. Φ cum omnibus l. L.; **28**, 17 ἔλεγε δὲ οὐκ εὔλογον εἶναι τὸν σπουδαῖον ὑπεξαγεῖν (sic) ὑπὲρ τῆς πατρίδος ἑαυτόν A: ἔλεγε

δὲ καὶ εὔλογον εἶναι τὸν σπουδαῖον ὑπεξαγαγεῖν ὑπὲρ τῆς πατρίδος ἑαυτόν Φ, ἔλεγε δὲ καὶ εὔλογον εἶναι τὸν σπουδαῖον μὴ ἐξαγαγεῖν κτλ. recte omnes libri Laertii; **33**, 6 *προσκρούσαντα* A: *προσκρούοντα Φ* cum omnibus l. L.; **36**, 12 *ὑποκύπτοντα* A: *ὑπερκύπτοντα Φ* cum omnibus l. L. quo modo hae lectiones diiudicandae sunt? adscripsi singulis locis quid praebeant libri manu scripti Laertiani, quo facilius quid rei esset perspiceres. vides nullam illarum codicis A lectionum auctoritate ullius libri Laertiani defendi utpote qui (excepto uno loco p. 28, 17) numquam non cum *Φ* conspirent. hoc summi momenti est, quoniam hinc cogitur efficiturque librum A locis supra scriptis non veterem memoriam largiri, sed coniecturas viri alicuius docti — procul dubio ipsius Christoferi Rufi. haec ratiocinatio egregie confirmatur indole naturaque istarum lectionum. quarum maxime memorabilis illa est quae invenitur p. 28, 17. hic Christoferus in exemplari suo Hesychiano eam lectionem quam *Φ* praestat repperisse censendus est quam mendo aliquo laborare pervidit. neque vero Laertium suum hoc loco inspexit unde facile quem ad modum mendum sanandum esset discere potuisset, sed proprio Marte volnus curare adgressus est particula *καὶ* — ad sensum haud inepte — in *οὐκ* immutata. quodsi tanti est ceteras viri boni coniecturas expendere, speciosum quidem, sed minime necessarium est quod commentus est p. 6, 12 *βασιλεῦσιν* (pro *βασιλεῖ*). contra graviter lapsus est p. 28, 7 ubi *βάθος τῆς ἑρμηνείας* pro *βάρος τ. ἑ.* edidit: iure hoc retinuit Dielsius in recensione sua Laertianae vitae Heracliti (*Herakl. von Ephes.* [Berol. 1901] p. 37). nec multo melius res cessit nostro p. 17, 21; 33, 6: 36, 12 (quem locum rectissime explanavit Menagius comm. ad Laert. Diog. II 131). semel tamen ei contigit ut locum corruptum vere egregie emendaret. nam quid certius esse potest quam p. 5, 5 pro *ὀπτικά* reponendum esse *τοπικά*? in hanc emendationem sane non potest non incidere quicumque paullo artiorem cum philosophia Aristotelia contraxit familiaritatem: Christoferum vero philosophi Stagiritae studiosissimum fuisse documento sunt eius *Antexegemata.*

His peractis sistamus paullulum gradum atque respectemus. ut breviter complectar quae hucusque de codice A disputavimus, eruimus hunc librum non simplex esse apographum vetustioris codicis Hesychiani, sed recensionem hominis docti qui id sibi proposuerat ut contextum Ps. Hesychii quam emendatissimum ederet. hoc tenentes iam convertere nos possumus ad difficillimam illam quaestionem qualis fuerit ille codex quem Christoferus fundum recensionis suae esse voluit cuius codicis speciem quamquam doctus librarius correctionibus coniecturisque suis haud mediocriter obscuravit, tamen umbrae eius adhuc cerni possunt. atque hoc quidem utique constare mihi videtur adnumerandum eum esse propagini codicis *Φ*. hoc conligendum esse arbitror cum ex eo quod detractis correctionibus quae ex Laertio advocatae sunt perpaucisque illis emendationibus quarum auctor ipse est Christoferus memoria libri A prae textu codicis *Φ* plane nullas habet virtutes, tum ex duabus testis A scripturis, quarum altera pertinet ad p. 28, 4 ubi Christoferus dedit *φαενοῦ*. hic *Φ* praebet *φαεινοῦ*, verum *ει* non satis clare scriptum est ut facile pro *ε* legi queat (BΣ exhibent *φαεινοῦ*; vera lectio est *φανεροῦ* quam libri Laertiani praestant). alter locus est p. 13, 1 ubi librarius *Φ* recte pinxit *ἤλιτον*: sed nescio quo chartae vitio atramentum difluxit ita ut ex pusillo *η* — utitur librarius *Φ* forma н — evaderet littera quae maximam cum *α* similitudinem haberet. unde non solem in A verum etiam in B et in C invenitur scriptura *ἄλιτον*. atque mihi quidem veri simillimum videtur esse Christoferum ipso codice *Φ* usum esse. putaverim eum quo tempore Romae morabatur (cf. p. 150 not. 1) huius codicis apographum fecisse: quod postea cum Cosmo Mediceo magnaducae Hesychium mittere decrevisset, omni modo correxit correctumque descripsit. codicem B (vel filium eius) a Christofero in usum suum conversum esse propterea parum probabile est, quod contextus libri A frequentibus illius libri lacunis mendisque prorsus caret.

Haec habui quae de libris manu scriptis personati Hesychii exponerem. iam ut summam eorum quae enucleavimus sub-

ducamus, invenimus misellum compilatoris nostri opusculum consimili sorte atque multa alia veterum scripta usum **uno** exemplari ad beatam illam aetatem qua litterae in Italia renasci coeperunt pervenisse: scilicet codice Φ qui saeculis XV et XVI compluries exscriptus est. stemma autem librorum Ps. Hesychianorum est hoc:



Quae cum ita sint, manufestum est ad textum falsi Hesychii constituendum unum adhibendum esse codicem Φ.

Iusta Ps. Hesychii editio non exstat, cum Sambuciana, uti supra expositum est, vili codicis B apographo nitatur, posteriores autem editores excepto uno Flachio omnes (Stephanus a. 1594 et 1616, Meursius a. 1613, Orellius 1820, Car. Muellerus Frag. hist. gr. IV a. 1851) novis subsidiis spretis Sambuci textum perpaucis locis commutatum repetere satis habuerint. Flachii vero recensio a. 1880 evolgata duplici de causa nullius pretii est: primum quod ille codice A fundamento usus est; deinde quod contextum Hesychianum coniecturis hominum doctorum noviciorum, velut Junii, Huebneri, Cobeti, Caroli Muelleri, ipsius, audacissime adulteravit. adparet virum doctum plane non perspexisse quid sibi vellet editio Ps. Hesychii qui tantum ut vetus Suidanae Laertianaeque memoriae testis a nobis respicitur. talem autem scriptorem quantum fieri potuerit adcuratissime ex libris manu exaratis edendum esse

suapte sponte patet: qui si limatur, politur, resarcitur omnis pessum it utilitas. incredibilem neglegentiam qua Flachius adparatum criticum consarcinavit, conscribillavit praefationem hic praetereo.

Sed mittamus querelas potiusque Flachii peccata corrigamus adcuratam codicis *Φ* cum illius textu conlationem proponentes. in sequenti tabula priore loco Flachiana lectio, altero scriptura codicis *Φ* conlocata est. ubicumque adnotatio silet, *Φ* et Flachius conspirant. praemoneo etiam hoc, inscriptiones vitarum Ps. Hesychii a librario *Φ* nigro atramento margini codicis adscriptas esse.

p. **2**, 9 *διαλόγων*] *λόγων* **3**, 12 *δὲ*] *δ'* **4**, 5 *περιέπειρέ*] *περιέπειρε* corr. *Φ*¹ ex *περιεπνρε* vel *περιεποε* 7 *ἐκπερᾶν*] *ἐκπερῶν* 10 *Ἑρμίαν*] *ἑρμείαν* 14 *τόν τε*] *τότε* 15 *ὑπογεγράφθαι*] *γεγράφθαι* **5**, 4 *μὲν*] *μὴν* 5 *τοπικὰ*] *ὀπτικὰ* 7 *πρός τε*] *πρὸς δὲ* 10 *ξυναγωγὴ*] *συναγωγὴ* 18 *ἀγαθῶν*] sic *Φ*, sed post blatta exesa est pars litterarum *γα* ut hodie supersit ἀ..θ 20 *ὑγιείας*] *ὑγείας* 21 *ἐκ τρίτων δὲ τῶν ἐκτός*] *τῶν δὲ ἐκτός* 24 *κακοδαιμονήσαντος*] *κακοδαιμονήσοντος* **6**, 3 *καὶ ὅτι*] *κἂν ὅτι* 9 *τὴν δὲ ἐρωτικὴν*] om. *Φ* 12 *βασιλεῦσιν*] *βασιλεῖ* (compendio) 14 *προέκρινεν*] *ἐνέκρινεν* 16 *αἰτιολογώτατος*] *αἰτιώτατος* 21 *οἰκονομεῖσθαι*] *κινεῖσθαι* **7**, 7 *ὁ Ἑρμῆς*] *θέρμης* ibid. *ἔχων*] *ἔχον* 16 *αὑτῷ*] *αὑτῶ* ibid. *ἢ καθ' ἕξιν*] om. *Φ* 18 *καθ' ἕξιν*] *κατὰ ἕξιν* **8**, 5 *ἀλλ' ἔθανες φθισικός, τάχ' ἐρεῖ τις ἴσως*] om. *Φ* 18 *ἡ ἀρετή*] *ἀρετή* 20 *ἀγαθοὺς*] om. *Φ* 22 *πλείονος*] *πλεῖον* **9**, 11 *Ἀλεξίνειόν*] *ἀλεξίνιόν* 13 *αὑτοῦ*] *αὐτοῦ* 16 *οὕτω*] om. *Φ* **10**, 20 *τὸν*] om. *Φ* 23 *πέρι σπίζαι τερατοῦντο*] *περϊσπιζατερατοῦντο* **11**, 1 *ὁθούνεκεν*] *ὅθ' οὕνεκα* ibid. *ὀχλοαρεστεῖς*] *ὄχλω ἄρεσκ' εἰς* 7 *ἐλήφθησαν*] *ἐλείφθησαν* 9 *ὑπὲρ*] *ὑπ'* **12**, 7 *Βορυσθένης ἔφυσ' ἐν γῇ Σκυθίσσῃ*] *βορυστενίτην ἔφησεν ἡ σκύθισα* 12 *ὁ νηὸν*] *ονηουν* 13 *ὅσοι*] *οἵ* 14 *καὶ τραπέζης*] om. *Φ* 15 *θυήμασιν*] *θυηλήμασι* ibid. *ἔδαισε*] *ἔδισε* **13**, 8 *ὅτ' ἦν ἅπας ὁ λέμβος*] *ὁτηναπασσόλεμβος* 9 *τὴν χεῖρα*] *τὴν δὲ χεῖρα* 13 *Παλαιστῖνος*] *παλαιστηνὸς* **15**, 1 *λόγον*] om. *Φ* 3 *Στίλπωνος*] *στίλπνωνος* 4 *ἐτιμήθη*] *ἐπε-*

τιμήθη 12 *Στίλπωνος*] *στίλπνωνος* 17 *ἔγραφεν*] *ἔγραψεν* **16,** 15 *ἀνελθὼν*] *ἐλθὼν* **17,** 2 *τοῦ ἀδελφοῦ*] *τῆς ἀδελφῆς* 15 *τινῶν*] *δι' ὧν καὶ* 19 *ἁπάντων*] *πάντων* 20 *οὖσαν*] *οὐσίαν* 21 *παρακούοντες*] *παρακούσαντες* **19,** 6 *Ξέρξου*] *ξέρξην* 8 *τοῦ Σωκράτους*] *σωκράτους* **20,** 4 *οὕτω*] *οὕτως* 11 *πόρνον*] *πόρνην* **21,** 9 *καὶ*] om. *Φ* 13 *φυσικὸν*] *φυσικῶν* 14 *γραμμαδιδασκαλίδης*] *γραμμοδιδασκαλίδης* 20 *οἶσιν*] *πρῶτος* **22,** 1 *θερμὴν*] *χαλκὴν* ibid. *εἰσήλυθε καὶ τὸν ἄκρατον*] *εἰσῆλθε καὶ ἄκρατον* 2b et 3 *Ἐμπεδοκλῆς*] om. *Φ* **22,** 15 *αὐτὸς δὲ*] *αὐτὸς δ'* 17 *γεννηθείσης*] *γενηθείσης* 19 *ἔφη μέσων νυκτῶν*] *μέσων νυκτῶν ἔφη* **23,** 13 *Μεσσήνην*] *μεσήνην* 16 *ἐθαύμασεν*] *ἐθαύμαζεν* 18 *δεδομένων*] *διδομένων* 20 *αὐτῷ*] om. *Φ* **24,** 5 *ἀγγελθῆναι*] *ἀγγελῆναι* 10 *πάντων*] *ὑδάτων* 11 *ὑγροῦ καὶ ξηροῦ*] *ξηροῦ καὶ ὑγροῦ* 47 *ἡσθήσομαι*] *αἰσθανθήσομαι* **25,** 1 *τε*] *τ'* 11 *ὕδατι*] *ὑδατϊϊ* 15 *γινόμενα*] *τὰ γινόμενα* **26,** 1 *τὸ δὲ*] *τὸ δ'* 12 *σκοτεινάς*] *καὶ σκοτεινάς* 13 *ὑπὸ τῶν ἑτέρων*] *ἀπὸ τ. ἑ.* 18 *τε*] *δὲ* **27,** 2 *ἐκλείπειν δὲ*] *ἐκλείπειν τὲ* 6 *καὶ ὥρας*] *ὥρας* 16 *τί μ' ἄνω*] *τί με ὤ* **28,** 1 *εἴλεε*] *εἴλεε* 2 *τοὐφεσίου*] *τοῦ ἐφεσίου* ibid. *ἀτραπιτός*] *ἀταρπιτός* 4 *φανεροῦ*] *φαεινοῦ*, sed *ει* non satis clarum ita ut et pro *ε* accipi queat ibid. *λαμπρότερ'*] *λαμπρότερον* 6 *βάθος*] *βάρος* 10 *δὲ*] *δ'* 17 *οὐκ*] *καὶ* **30.** 3 *ἐφιλείτην*] *ἐφιλήτην* 5 *ἐξωμοιούσθην*] *ἐξωμοιώτην* 6 *ἐκοινωνείτην*] *κοινωνήτην* 9 *φιλοδημώδεε*] *φιλοδημῶδε* **31,** 6 *τραφείη*] *τραφῇ* 17 *ναί σε*] *ναὶ* **32,** 2 *τὸ τῆς Ἠλέκτρας*] *τὸ ἐκ τῆς ἠλ.* 3 *λεπτὸν*] *λευκὸν* 14 *φέρεσθαι*] *φαίνεσθαι* **33,** 2 *ἐκ τούτων*] om. *Φ* ibid. *διαλύεσθαι*] *διαδύεσθαι* 3 *κατ'*] *κατα* 6 *προσκρούσαντα*] *προσκρούοντα* 12 *δὲ*] *δ'* 15 *γίνεσθαι*] *γενέσθαι* **34,** 1 *πηλῶδες*] *σπιλῶδες* 10 *ἄρκτον*] *ἄρκτω* 15 *οὐ διασαφεῖ*] *διασαφεῖ* **35,** 1 *Ἀλεξίνειος*] *ἀλεξίνιος* 7 *Ἐρετρῇ*] *ἐρέτρην* 9 *λῆρον*] *λόγον* 10 *δ' ἦν*] *δ' ἂν* 13 *δὲ ἐπισκώπτης*] *γὰρ ἐπικόπτης* 17 *ἔχοι*] *ἔχει* **36,** 5 *γὰρ*] *γοῦν* 12 *ὑποκύπτοντα*] *ὑπερκύπτοντα* 18 *ἡ δὲ περὶ τούτων ὑπόνοια*] om. *Φ* **37,** 37 *προπταίουσιν*] *προσπταίουσιν* **38,** 2 *λαχάνιον*] *λάχανον* 3 *ταρίχιον*] *τάριχον* 6 *τὸ δὲ*] *τό τε* 8 *ῥοὸ*] *ῥόα* ibid. *ὦχροι*] *ὄχναι* 14 *πολλάκις τυράννων*] *τυράννων πολλάκις*

39, 1 *αὐτῷ*] *ἑαυτῷ* 16 *ἐκλιμπάνει*] *ἐκλιμπάνειν* **40**, 10 *ἀτυφώτατος* (!!)] *ἀτυφότατος* **41**, 1 *παραλλάκτους*] *οὐ παραλλάκτους* **42**, 9 *πλατὺς ἦν*] *πλατὺν* ibid. *φασὶν αὐτὸν*] *αὐτόν φασιν* 11 *πλατίστατος*] *πλατίσταχος* 12 *τέττιξιν*] *τέττιξ* **43**, 6 *Ἄλκιμος*] *ἐπίχαρμος* 14 *δὲ*] om. *Φ*. 16 *δὲ*] om. *Φ* **44**, 5 *φέρ'*] *φέρε* ibid. *τίς*] *τίδ'* ibid. *εἶμέν τοι*] *εἰ μέντοι* 6 *οὐκ ὦν δοκεῖ*] *οὐκοῦν δοκεῖς* 7 *τὠγαθῷ*] *τἀγαθοῦ* 8 *τι πρᾶγμ'*] *τὸ δὲ πρᾶγμα* ibid. *αὖθ'*] *αὐτὸ* 9 *εἰδῇ*] *εἴδη* ibid. *τῆν'*] *τῆνο* ibid. *ἤδη*] om. *Φ* **45**, 5 *ἓν*] om. *Φ* 7 *μορίας*] *μωρίας* ibid. *καὶ*] om. *Φ* 9 *ἀνέπλαττε*] *ἀνέπλασε* ibid. *ὁ*] om. *Φ* 15 *συγγενῶς*] *συγγενοῦς* **46**, 2 *ποτ'*] *ποτέ* ibid. *οὔ*] *οὐ* 4 *τοῦ*] om. *Φ* 8 *τοῦ Ἀθηναίου ξένου*] om. *Φ*. **47**, 15 *εὐσεβῶς*] *εὐσεβῶς δὲ* 16 *μαιευούσῃ*] *μαιουνούσῃ* ibid. *ἀγορὰν*] *ἄνρυν* 19 *δ'*] om. *Φ* ibid. *ἐπιλαβόμενον*] *λαβόμενον* 21 *διασοβηθεὶς*] *διασοβηθέντος* **48**, 15 *ἀσυμφθασάντων*] *οὐ συμφθασάντων* **49**, 2 *κιθαρῳδίᾳ*] *ἐν κιθαρωδία* 13 *εὑρεσιλογίᾳ*] *εὑρησιλογία* **50**, 17 *δὲ*] *δ'* 23 *Στίλπων'*] *στίλπνων'* ibid. *ἄλγε' ἔχοντα*] *ἔχοντ' ἄλγεα* **51**, 1 *ἔνθα*] *ἔνθεν* ibid. *ἐρίζεσκεν*] *ἐρίζεσκε* 7 *οὐδ'*] *οὔτε* **52**, 2 *ἄϊδι*] *ἅιδι* 12 *Ἀμισηνός*] *ἐμισηνός* **53**, 4 *ἀστρονομίας*] *ἀστρονομίαν* 15 *φασὶν οὐ*] *φασὶ μὴ* **54**, 1 *δὴ*] *δὲ* 4 *κεράσας*] *μίξας* 8 *ἐκάλεσεν*] *ἐκάλει* **55**, 4 *Χοιρίλος*] *χοιρίλλος* 11 *αὕτη*] *αὐτὴ*.

Hasce codicis *Φ* lectiones in falsi Hesychii contextum recipiat necesse est quisquis germanam eius opusculi formam tenere cupiet.

Verum iam patefacta est ianua ad gravem illam quaestionem qualis fuisse videatur ille quo compilator noster usus est codex Laertii. ad cuius indolem naturamque explorandam utile erit ea quae Ps. Hesychius ex Laertii opere excerpsit paullo attentius contemplari. qua in re consentaneum est ut eorum potissimum locorum rationem habeamus quibus codices Laertii in diversas partes digrediuntur. tamen ne moles huius commentationis nimis adcrescat, continebo me in eis partibus examinandis quae ex Laertii libris I—V et X desumptae sunt.[1])

1) Adposui scripturas codicum Laertianorum B (= *Burb. gr.* 253 sc. XII, P (= *Paris gr.* 1759 sc. XIII), L (= *Laur.* LXIX 13 sc. XIII),

iam videsis. [*Vitae Aristotelis*] p. **6**, 7 *εἶναι μὲν* *Φ* cum **BPL** (recte): *εἶναι* VD 11 *καὶ ἐρασθήσεσθαι δὲ* *Φ* cum **BPL** (recte): *καὶ ἐρασθήσεσθαι* VD 14 *ἐνέκρινεν* *Φ* cum **BPL** (recte): *ἔκρινεν* VD [*Vitae Arcesilai*] **9**, 7 *ἀστραγαλωτί* *Φ* cum B^1 (optime): *ἀστραγάλω* (i. e. *ἀστραγάλῳ*) PLVD 11 *ἀλεξίνιόν* *Φ* cum **BL** (verum *Ἀλεξίνειόν*): *ἀλεξῖνον* PVD **11**, 1 *ὄχλω ἄρεσκ' εἰς* *Φ* *ὄχλω ἀρέσκεις* **BL** (utrumque perperam): *ὀχλοαρέσκης* PV *ὀχλοαρέσκεις* D (cf. Wachsmuthii *Sillogr. gr. rell.* p. 119 sqq.) [*Vitae Bionis*] **12**, 12 *ονηουν* *Φ* cum **B** (perperam) *ὀνηοῦν* P^1: *ὁ νηὸν* LVD 14 *μόνον* *Φ* cum B^1P^1 (falso): *μοῦνον* LVD 15 *θυηλήμασι* *Φ* cum BP^1 (falso): *θυήμασιν* LVD **13**, 4 *καὶ κλάδον* *Φ* cum **BPL** (recte): *κλάδον* VD [*Vitae Diodori*] **15**, 10 *ἀθυμίη* (i. e. *ἀθυμίῃ*) *Φ* cum **BL** (recte): *ἀθυμία* PVF [*Vitae Epicuri*] **20**, 9 *μοι λοιδορεῖσθαι* *Φ* cum **BP** (recte): *μὴ λοιδορεῖσθαι* LD (V mutus) 16 *δημοκρίτου* *Φ* cum **BP** (recte): *δημόκριτον* LD (V mutus) [*Vitae Theodori*] **28**, 15 *τῆς μὲν γὰρ χρείας* *Φ* *τῆς μὲν γὰρ τῆς χρείας* B^1 (falsum utrumque): *τοῖς μὲν γὰρ τῆς χρείας* LVF [*Vitae Cratetis*] **30**, 5 *ἐξωμοιώτην* *Φ* cum P^1 *ἐξομοιώτην* **B** (utrumque falsum): *ἐξωμοιούσθην* VD *ἐξωμοιούσθην* ||||||| L 6 *κοινωνήτην* *Φ* cum **B** *κοινωνείτην* P (utrumque falsum): *ἐκοινωνείτην* LVD 8 *λείψανα τῶν ἐκ τοῦ χρυσοῦ γένους* *Φ* cum **BPL** (recte): *λείψανα τοῦ χρυσοῦ γένους* VD [*Vitae Menedemi*] **35**, 9 *ὀφρυωμένος* *Φ* cum **B** (recte): *ὠφρυωμένος* LP^1VF **37**, 10 *ὑπώπια* *Φ* cum **BPL** (recte): *ὑπώπα* V *ὑπώπαι* F 12 *τρισχιλίας* *Φ* cum **B** (recte): *τρισχίλια* PLVF 20 *ἐς ὅ* *Φ* cum P^1 *ἔσω* **B**: *ἕως* LVF **38**, 15 *πατρίδα* *Φ* cum **BL** (recte): *πόλιν* PVF [*Vitae Xenocratis*] **40**, 11 *ἐμελέτα* *Φ* cum **B** (vitiose): *διεμελέτα* PLVD [*Vitae Platonis*] **42**, 13 *δένδρω* *Φ* cum **B** (falso): *δένδρει* PLVF (cf. Wachsmuthium *Sillogr. gr. rell.* p. 101) **43**, 24 *ὁμοιώματα* *Φ* cum **BL** (recte): *ὁμοιότατα* P *ὁμοιότητα* V *ὁμοιότατες* F **45**, 3 *θεόπομπος* *Φ* cum **BPL** (recte): *θεόπεμπτος* VF [*Vitae Stilponis*] **50**, 2

V (= *Vatic. gr.* 1302 sc. XIII), F (= *Barber. gr.* 275 sc. XIV), D (= *Burb. gr.* 252 sc. XV). de cognatione librorum Laertianorum cf. *Anal. Laert.* I (1899) p. 104 sqq. et *Mus. Rhen.* LV (1900) p. 612 sq.

δίφιλον Φ cum BPL (recte): *φίλον* VF 8 *ταργυρίδιον* Φ BPL (recte): *ταργυρίον* VF 14 *ἀπολωλεκέναι* Φ cum PL (recte) *ἀπολολικέναι* B[1]: *ἀπολωλέναι* VF 14 *τῶν ἰδίων* Φ cum B (verumne?): *τῶν οἰκείων* PLVF.

cf. praeterea [*Vitae Cleanthis*] **32**, 3 *λευκὸν* Φ cum BP[1] (perperam): *λεπτὸν* LD (V mutus) [*Vitae Leucippi*] **33**, 2 *διαδύεσθαι* Φ cum B (perperam): *διαλύεσθαι* PLD **34**, 15 *διασαφεῖ* Φ cum BPL (vitiose): *οὐ διασαφεῖ* D (cf. de hoc loco Menagium ad Laert. Diog. IX 33).

Quicumque hanc tabulam attente perlegerit, codicem Φ artiore cognationis vinculo coniunctum esse invenerit cum uno libro B quippe cum quo — exceptis tribus locis (30, 5; 37, 20; 50, 14) ubi levis exstat differentia orthographica — numquam non mirifice concordet. hinc facile quis induci possit ut codicem Φ ex ipso libro B fluxisse credat. tamen falleretur. etenim ne illud factum esse existimemus gravissimi obnituntur scrupuli. primum frusta Laertiana codicis Φ prorsus immunia sunt foedis illis itacismis quibus liber B scatet et abundat (cf. *Anal. Laert.* p. 79), aeque vacant erroribus haud infrequentibus quos librarius codicis B male distincta vel intellecta scriptura maiuscula exemplaris sui procreavit. velut Φ recte praebet p. 27, 6 (= Laert. Diog. IX 10) *ἐτείους*, cum B exhibeat *αἰτίους*; — p. 9, 1 (= L. D. VI 12) *συγγενοῦς* recte Φ: *εὐγενοῦς* B (CYΓΓЄNOYC ∾ ЄYΓЄNOYC); 10, 20 (= L. D. IV 38) *ἐπεὶ πένης ἦν* recte Φ: *ἐπιπένησιν* B; 33, 16 (= L. D. IX 32) *ἐπίψαυσιν* recte Φ: *ἐπιψαύειν* B; 18 (= L. D. IX 32) *αὔξεσθαι* recte Φ: *ἅπτεσθαι* B (AYΞЄCΘAI ∾ AΠTЄCΘAI). haec exempla satis sunto. quodsi Ps. Hesychius codicem B usurpasset, non est dubium, quin ùnum alterumve istorum vitiorum conservaturus fuerit. certissime vero evincitur codicem Φ non e libro B excerptum esse eo quod B quibusdam locis lacunosus est ubi Φ integrum textum praebet. et huius rei pauca exempla delibare lubet. l. III 14 particulam *οὖν* ante *αὔλησίς ἐστιν* om. B: praebet Φ (p. 44, 4); l. IX 24 B om. verba *δοκεῖν δὲ εἶναι*: habet Φ (p. 39, 2); l. IX 33 B praebet *κατ' ἀνάγκην* pro *κατά τινα ἀνάγκην*: hoc Φ

(p. 34, 14); l. IX 57 B' om. verba *καὶ ἀραιούμενον* (add. B² sc. XV): habet *Φ* (p. 18, 7).

Quae qui reputaverit, librum B pro fonte codicis *Φ* venditare non audebit, sed potius statuet Hesychium adsimulatum libro aliquo usum esse testis B simillimo qui tamen eo aliquanto purior fuerit a mendis lacunisque. talis vero codex ille deperditus fuisse censendus est unde B est descriptus (adpellamus eum ε). quem caruisse cum aliis libri B vitiis tum maximam saltem partem itacismis quibus hic tam foede inquinatus est inde concludi licet quod codex P qui ipse quoque ex codice ε deductus est itacismis qui in B occurrunt fere liber est. quodsi iam exemplum ε itacismi sordibus tanto opere infectum fuisset quanto opere est B, haud dubie in textu libri P compluria reperirentur istius generis vitia quantumvis vigilantes fuerint eius scribae. atque eo facilius nobis persuadebimus ipsum scribam B istorum vitiorum auctorem esse quod eum stolidissimum nec non linguae, historiae, litterarum Graecorum imperitissimum fuisse multae res documento sunt. quid, quod scripsit *Μιλτιάλης* pro *Μιλτιάδης*, *Καρχηλόνιος* pro *Καρχηδόνιος*, *Ὀμφάδης* pro *Ὀμφάλης*, *Ἀὐσίου* pro *Λυσίου*, sescenta huius farinae alia?

Vel hac deliberatione instituta maxime probabile fit personatum Hesychium a libro ε sua mutuatum esse. sed est etiam aliud quod huic opinioni patrocinetur. maiuscula enim q. v. litteratura perscriptum fuisse codicem ε exploratum est (cf. *Anal. Laert.* I p. 132): eodem genere fuisse exemplar Laertii a Ps. Hesychio adhibitum duo eius opusculi loci ostendere videntur: 1) p. 7, 7 (= L. D. V 33) ubi *Φ* pro *ὁ Ἑρμῆς* quod in omnibus libris Laertianis exstat praebet *Θέρμης* (in exemplo Ps. Hesychii fuerit ΘΕΡΜΗϹ); 2) p. 17, 15 (= L. D. IX 44) ubi in *Φ* legitur *δι' ὧν* quod subnatum videtur ex ΛΙΩΝ. vera lectio *λείων* (B²P¹D) est: sed exhibet *λίων* B¹ qui hoc ex ε transtulerit (P hic lectionem familiae α expromit). Quae cum ita sese habeant, haud temerarium sit, excerpta Ps. Hesychii ad codicem ε revocare. Haec cum sit excerptorum Hesychianorum origo profecto non est demiran-

dum quod nulli fere emolumento sunt emendationi contextus Laertiani. etenim, ni egregie fallor, tantum uno loco — p. 30, 3 (= Laert. Diog. IV 21) — Ps. Hesychius praestat scripturam notabilem. hic *Φ* exhibet: *ἐφιλήτην ἀλλήλω* (i. e. *ἐφιλείτην ἀλλήλω*: quae lectio sententia loci efflagitatur), cum libri Laertiani manufesto errantes praebeant: *ἀλλήλωφελείτην* B[1] *ἀλλήλω ὠφελείτην* P[1]D *ἀλλήλω ὠφελέτην* L *ἀλλήλους ὠφελείτην* V. puto illam lectionem coniecturam esse Ps. Hesychii quae — id quod attendas velim — profecta esse videtur ab ea scriptura quam B tuetur. huic uni probae lectioni e regione sunt haud pauca menda a libris Laertii aliena quae utrum ipse Ps. Hesychius invexerit an ei qui eius libellum descripserunt sane disceptari nequit.

Quibus expositis disputatio nostra recurrat ad eum locum unde exorsa est: ad quaestionem de aetate opusculi Hesychiani. promisimus supra, sub finem commentationis nostrae tempus quo confectum illud esse videatur adcuratius nos circumscripturos esse. iam promissa peragemus. quodsi recte posuimus — neque est cur de hac re dubitemus — Ps. Hesychium codicem *ε* in usum suum advocasse, *terminum q. v. ante quem* nancti sumus. nam cum constet huius codicis memoriam saeculo XII, cum B ex eo describebatur, puram intactamque fuisse, saeculo autem XIII, cum P ex eo exprimebatur, iam ex libris quibusdam familiae *α* fuisse interpolatam, cumque Ps. Hesychius intemerato libro *ε* necdum vitiato usus sit, compilatorem nostrum libellum suum ante saeculum XIII fabricatum esse efficitur. *terminum* vicissim *q. v. post quem* suppeditat id quod vir bonus Suidae opere usus est quem media fere saeculi X parte floruisse veri simillimum est. igitur Hesychius adsimulatus aut saeculo XI aut XII vixisse arbitrandus est.

Quibus facere non possum quin hoc unum adiungam. scribit Flachius praef. p. XI sqq. haec: ‘nec minus constat non ipsum anonymum Hesychii Milesii nomen famamque iactasse, sed lectores rudes et indoctos, cum libellum titulo carentem offendissent, auctoris nomen titulumque in margine

adscripsisse, illustris illius scriptoris librum in manibus se habere ratos.' haec vehementer vereor ut stare queant. primum quidem parum probabile est Hesychii Illustrii nomen a rudibus indoctisque lectoribus libello impositum esse. an reapse quisquam credet saeculis XI et XII Hesychium cuius operis tum temporis tantum epitome supererat tam pervolgatum fuisse ut nemo Graecus esset qui eius nomen ignoraret? sed omnino — etiam ab homine doctiore — inscriptionem illam quam codex *Φ* exhibet postea adiectam esse veri dissimile est. hoc enim qui ponat, statuat necesse est genuinam opusculi nostri inscriptionem intercidisse. neque vero ullum exstat signum quo hoc factum esse indicetur. e contrario nihil plane renititur quo minus inscriptionem ab ipso libelli auctore qui Hesychium e Suidae lexico (vid. art. *Ἡσύχιος*) cognorit profectam esse ducamus eumque ipsum plebeculae veterum falsariorum adnumeremus.

DE SERMONE FIGURATO QUAESTIO RHETORICA

SCRIPSIT

JULIUS PENNDORF.

Veteres et Graecos et Romanos artem rhetoricam fovisse ac per saecula mire excoluisse satis constat. Neque vero quisquam adhuc historiam horum studiorum scripsit; Volkmannus enim in libro 'die Rhetorik der Griechen und Römer in systematischer Uebersicht' anno 1885 Lipsiae iterum emisso, quamquam universas res ab illis excogitatas in unam disciplinae quasi formam apte collegit, tamen stirpem earum et incrementa parum dignovit. Quare nobis proposuimus rhetorum de sermonibus figuratis praecepta[1]) per tempora propagata ita persequi, ut, quae quisque deinceps docuerit, ipsa afferamus.

---

§ 1. De origine et usu causarum figuratarum.

Inter plurimos consensum est, ut ait Quintilianus (I. O. IX 1, 17), duas figurarum esse partes: *διανοίας* i. e. mentis vel sententiarum et *λέξεως* i. e. verborum vel dictionis vel elocutionis. Interdum tamen expedit totam orationem quasi figura quadam induere, quae ad omnem causae tractandae enuntiandaeque rationem pertinet.

Exemplo cotidiano[2]) rem illustremus: facile fit, ut, si cui dona ab amicis offeruntur, ea verbis repudiet, etiamsi ex animo concupiscat. Insignis autem ea forma est, quae

---

1) In universum conferas Volkmannum l. l. p. 111—123.

2) Cf. [Dion. Hal.] art. rhet. IX 5 (p. 77, 17 Us): *οἱ τὰ δῶρα ⟨τὰ⟩ παρὰ τῶν φίλων ἀπωθούμενοι, βουλόμενοι δέξασθαι λέγουσιν μὲν τὰ ἐναντία, πράττουσιν δὲ τὰ ἐναντία.*

ironia[1]) vocatur: consilium enim dicentis verbis contrarium est.

Ex oratoribus princeps Isocrates simili artificio usus est in Panathenaico, si modo ipse consulto adversarium notantem facit (§ 239): *Σπαρτιατῶν δοκεῖν μὲν κατηγορεῖν ..... μηδὲν δὲ ποιεῖν τοιοῦτον, ἀλλὰ λανθάνειν ἐπαινῶν αὐτούς· ζητῶν δὲ τὰ τοιαῦτα ῥᾳδίως εὑρεῖν λόγους ἀμφιβόλους καὶ μηδὲν μᾶλλον μετὰ τῶν ἐπαινούντων ἢ τῶν ψεγόντων ὄντας, ἀλλ' ἐπαμφοτερίζειν δυναμένους καὶ πολλὰς ἀμφισβητήσεις ἔχοντας.* Vide, quid iudicet § 265: *οὐδὲν ἐφθεγξάμην ... οὔθ' ὡς ἔτυχε ταῖς ὑπονοίαις τῆς ἐμῆς διανοίας, οὔθ' ὡς διήμαρτεν*[2]).

Et Aristoteles rhet. III 17 (p. 1418ᵇ 23) haec praecipit: *ἐπειδὴ ἔνια περὶ αὑτοῦ λέγειν ἢ ἐπίφθονον ἢ μακρολογίαν ἢ ἀντιλογίαν ἔχει καὶ περὶ ἄλλου ἢ λοιδορίαν ἢ ἀγροικίαν, ἕτερον χρὴ λέγοντα ποιεῖν, ὅπερ Ἰσοκράτης*[3]) *ποιεῖ ἐν τῷ Φιλίππῳ καὶ ἐν τῇ ἀντιδόσει* (§ 141 sq.) *καὶ ὡς Ἀρχίλοχος ψέγει .... καὶ ὡς Σοφοκλῆς τὸν Αἵμονα ὑπὲρ τῆς Ἀντιγόνης πρὸς τὸν πατέρα ὡς λεγόντων ἑτέρων.*

Hunc simulationis vel dissimulationis modum proprie *σχῆμα* appellatum esse primus nobis testis affirmat Zoïlus[4]) (frg. 3 'orat. Att.' II 250 Bait. Saupp. = Phoebamm. de schemat. 8 'Rhet. Gr.' III 44 Sp.): *Ὁρίζεται Ζωΐλος οὕτως· σχῆμά ἐστιν ἕτερον μὲν προσποιεῖσθαι, ἕτερον δὲ λέγειν.* Quintilianus (I. O. IX 1, 14): 'Anguste Zoilus terminavit, qui id solum putaverit schema, quo aliud simulatur dici quam

1) Ibid. IX 1 (p. 71, 23 Us.): *ὅλον τὸ τῆς εἰρωνείας σχῆμα ἐσχηματισμένου λόγου σημεῖόν ἐστι.*

2) Cf. Volkmann l. l. p. 121. — *Κυπριανός* (*τὰ ἀπόρρητα τοῦ Ἰσοκράτους* 1871 p. 76 sq.) omnes Isocratis orationes quodammodo figuratas esse neque aliis nec mihi persuasit.

3) Cf. [Dion. Hal.] art. rhet. IX 12 (p. 95, 1 Us.).

4) Videtur ille Amphipolitanus fuisse *Ὁμηρομάστιξ* cognominatus, Isocratis aequalis. At Blass ('att. Beredskt.' II² p. 375) illud ipsum fragmentum alterius Zoili, scil. posterioris rhetoris, esse autumat. Cf. Friedlaender, 'de Zoilo aliisque Homeri obtrectatoribus' diss. Koenigsbg. 1895 p. 40.

dicitur.' Ille certe Quintiliano aliquantum aetate antecessit; sed quae de schematum *ratione* docuerit, plane ignoramus.

In *foro* quidem his figuris locum esse Quintilianus ipse expertus est; narrat enim (I. O. IX 2, 73 sq.): 'Equidem et in personas incidi tales et in rem quoque, quae obtineri nisi hac arte non posset. Ream tuebar, quae subiecisse dicebatur mariti testamentum, et dicebantur chirographum marito exspiranti heredes dedisse: et verum erat. Nam quia per leges institui uxor non poterat heres, id fuerat actum, ut ad eam bona per hoc tacitum fideicommissum pervenirent. Et caput quidem tueri facile erat, si hoc diceremus palam, sed peribat hereditas. Ita ergo fuit nobis agendum, ut *iudices illud intelligerent factum, delatores non possent apprehendere ut dictum*: et contigit utrumque.'

Sed hanc artificiosam dictionem praecipue apud magistros *declamandi* et Graecos et Romanos in usu fuisse non mirum est. [Dion. Hal.] art. rhet. IX 5 (p. 77, 14 Us.): *τοῦτο μὲν οὖν καὶ οἱ μελετῶντες ἴσασιν. ὅταν γάρ τις προσέλθῃ τῇ βουλῇ ἀξιῶν ἀποθανεῖν, οὐδεὶς αὐτῶν ἀποθανεῖν βούλεται, ἀλλὰ τὰ ἐναντία βούλεται ὧν λέγει*[1]). Et Quintilianus (IX 2, 65 sq.) affirmat frequens in *scholis* esse id genus, 'in quo per quandam suspicionem, quod non dicimus, accipi volumus ... quod iam fere solum *schema* a nostris vocatur et unde *controversiae figuratae* dicuntur.' Hic sane gravissimus auctor est, cum ipse peritus dicendi magister iure existimetur et diserte (l. l. § 81) scholis consulat, quo fit, ut quasi ad officinam aditum nobis aperiat.

Trita igitur *argumenta*, quae tractari solebant, paucis significat § 67: 'et pactiones deponentium imperium tyrannorum[2]) et post civile bellum senatus consulta *finguntur* et capitale est obicere anteacta'[3]). Porro § 92 affert 'celebrata

1) Cf. Hermogenes *περὶ εὑρ.* IV 13 = 'Rhet. Gr.' II 259 Sp.; Apsines 'Rhet. Gr.' I² 338 Sp.-H.

2) Cf. infra § 97: 'adversus tyrannum, qui sub pacto abolitionis dominationem deposuerat, agit competitor.'

3) Item patres infames (§ 70), filii abdicati (§ 88, 89) usitati sunt.

apud Graecos schemata, per quae res asperas mollius significant.' Nam Themistocles suasisse existimatur Atheniensibus, ut urbem apud deos deponerent, quia durum erat dicere, ut relinquerent. Et alias species exemplis illustrat: nempe 'potest melius aliquid velle quam dicit' orator (§ 89) aut 'cum ius asperius petitur a iudice, fit tamen spes aliqua clementiae' (§ 90).

Sed in scholis etiam id quaesitum est, quomodo contra figuras responderi oporteret (§ 93). Cum plerique eas semper ex diverso aperiendas putaverint, Quintilianus alias quoque vias occasioni aptas demonstrat: sive malis maledicta non intellegere, sive id premas, quod adversarius oblique, non palam obiurgare ausus sit, sive dissimulatione abutaris.

Atqui ipse asseverat (§ 77sq.) praecipue prima, quibus praecipere coeperat, tempora nimio talium controversiarum studio laborasse: non solum, si persona obstaret rectae orationi, decurrebant ad schemata, sed faciebant illis locum etiam, ubi figurae inutiles ac nefariae (§ 79) aut contrariae essent causae (§ 81). Nonnulla eiusmodi argumenta commode expedit neque curat illud crimen (§ 84): 'Patrocinium hoc (scil. figurandi) voluit, qui controversiam finxit.'

Ideoque 'parcius et circumspectius' faciendum esse (§ 69) censet; modum adhiberi iubet: imprimis ne sint manifestae figurae; sed ne si optimae quidem sint, esse debent frequentes (§ 72).

Et plura ingeniose observavit et eleganter pronuntiavit Quintilianus. § 72: In summa sic maxime iudex credit figuris, si nos putat nolle dicere (cf. § 76). § 75: Quaedam etiam, quae probare non possis, figura potius spargenda sunt. Haeret enim nonnunquam telum illud occultum et hoc ipso, quod non apparet, eximi non potest; si idem dicas palam, et defenditur et probandum est. § 78: Nam rectum genus approbari nisi maximis viribus non potest, haec deverticula et anfractus suffugia sunt infirmitatis — ut qui cursu parum valent, flexu eludunt — cum haec, quae affectatur, ratio sententiarum non procul a ratione iocandi abhorreat.

Adiuvat etiam, quod auditor gaudet intellegere et favet ingenio suo et alio dicente se laudat (cf. § 71).

Hic igitur usus est controversiarum figuratarum, quae nescio an tum florere coeperint, cum omnino studia declamandi vigerent; Quintilianum autem cognovimus et penitus perspexisse et scite iudicare, quae earum vis sit.

---

§ 2. Quatenus causas figurari liceat, inter rhetores litigatur.

Tamen, si quis laudatum Quintiliani locum diligenter perlegerit, auctorem nonnunquam a vulgari opinione dissentire (e. c. § 85; 81 sq., 77 sq.) animadvertet. Et fuisse aliquando inter rhetores acerrimam de sermonibus figuratis litem suspicari licet ex artis rhetoricae, quae vulgo Dionysio Halicarnasseo tribuitur[1]), capitibus VIII. et IX. Sunt autem duo *περὶ ἐσχηματισμένων* (*α'* et *β'*) tractatus, alter ab altero conscriptus. Ex primis utriusque verbis elucet, quae fuerit causa illius litis.

Erant enim, qui dictionem figuratam (*ἰδέαν ἐσχηματισμένην*) esse negarent, sic ratiocinati (cf. [Dion. Hal.] l. l. IX 1 p. 71, 7): 'Necesse est aut simpliciter loqui aut non loqui. Nihil enim interest tecte (*καθ' ὑπόνοιαν*) dicere: nam, si auditor sensum reconditum intelleget, per ambages idem assequetur ac si palam audiverit, sin non intelleget, nihil proficiet orator.' Unde natum esse videtur illud vulgatum (Quint. V 10, 70 ∾ IX 2, 69): 'Quo schema, si intellegitur?, quo, si non intellegitur?'

Attamen a plerisque concedebatur (cf. [Dion. Hal.] l. l. VIII 1, p. 43, 3) partes controversiarum posse figuratas

1) Cf. Sadée 'de Dion. script. rhet.' dissert. Argentor. 1878, p. 29; C. Brandstaetter Leipz. Stud.' XV (1894), p. 263. — 'Dionysii Hal. quae fertur ars rhetorica' denuo recensita est ab H. Usenero, Lipsiae 1895 (cf. p. VI sq.)

esse, minime vero totas integrasque causas, cum audientes nisi apertam quaestionem non intellegerent neque veteres scriptores hac specie sermonum usi essent.

His opinionibus adversantur auctores Pseudodionysiani: prior et quot sint genera causarum prorsus figuratarum et quae earum ratio, se explicaturum profitetur ipsis veteribus ac praecipuis scriptoribus adhibitis testibus; posterior eo progreditur, ut e contrario ullam orationem figurae expertem esse perneget, id quod evincere sibi videtur (p. 71, 14) exemplis quasi cotidianis et ex ipso usu comparatis, scilicet diversis modis compellandi (benigne, verecunde, hilare, acerbe, mirantis more), invitandi ad privatas cenas, mutuas pecunias exigendi. Rem ipsam infra (§ 13. p. 97, 5) argumento comprobat: *τοῦ ἀγῶνος ὄντος τῷ ῥήτορι διπλοῦ, τοῦ πράγματος καὶ τοῦ ἤθους τοῦ κρατοῦντος, ἡ περὶ τῶν ἠθῶν διοίκησις ἀεὶ ἐσχηματισμένους τοὺς λόγους ἔχει.*

Videntur igitur ex prioris sententia aliquot controversiae nuncupari figuratae, ex posterioris autem universi sermones. Quae discrepantia unde manaverit, plane perspicies, si loci Quintiliani (I. O. IX 1, 10) memineris: '⟨figura⟩ duobus modis dicitur: uno qualiscumque forma sententiae — altero, quo proprie schema dicitur, in sensu vel sermone aliqua a vulgari et simplici specie cum ratione mutatio. Quare illo intellectu priore et communi nihil non figuratum est, ... (hoc posteriore efficitur) aliam esse orationem *ἀσχημάτιστον* i. e. carentem figuris, aliam *ἐσχηματισμένην* i. e. figuratam.' Iam manifestum est alteram notionem alteri placuisse scriptori. Sed, licet quaeque oratio suam praebeat conformationem, quaedam controversiae sic instituuntur, ut proprie figuratae dicantur. Et ad has spectat utriusque disquisitio (cf. p. 43, 10 ∾ p. 72, 1).

Enimvero tres formae schematum ab utroque distinguuntur (cf. p. 43, 15 ∾ p. 72, 3):

prima ea dicit, quae vult, sed decorum requirit;
secunda oblique alia dicit, alia dicendo machinatur;
tertia contraria eis, quae dicendo simulat, efficere studet.

Ad primum autem genus adnotatur (p. 43, 17) decentiam opus esse aut ob dignitatem eorum, ad quos oratio habeatur, aut ob securitatem adversus auditores comparandam. 'Atque hanc, inquit, speciem non respuunt οἱ ῥητορικοί (sane adversarii), sed colorem (χρῶμα) vocant: gratiosas enim orationes nescio unde profecti sic appellant, cum aut patriam quis alloquitur aut optimatem aut imperatorem aut magistratum aut totam civitatem.'

Itaque ipsum litis discrimen inde repetam, utrum integram causam adeo figurari liceat, ut etiam alius sensus oriatur, an sermoni partim tantummodo figurae inspergendae sint, ut molestae res mollius significentur.

Sed magnopere dolendum est, quod neuter scriptor adversarios aperte nominat (τινές: p. 43, 4 ∾ 71, 6), neque nomina fingere iuvat. Tamen ex indiciis haud levibus eruisse mihi videor cum Quintilianum tum illum Demetrium, qui de elocutione scripsit, stare a partibus adversariorum Ps.-Dionysii.

Namque Quintilianus, cum inter figuras sententiarum emphasi (§ 64) confine schema proprie dictum recenseat, triplicem eius usum statuit (§ 66): unum, si dicere palam parum tutum[1]) est, alterum, si non decet (ob personae reverentiam § 76), tertium, qui venustatis modo gratia adhibetur et ipsa novitate ac varietate magis, quam si relatio sit recta, delectat.

Hic tertius modus (cf. § 96—99), in quo ironia frequentissima est et illud, quod petitur a iure iurando, captatur, ad elocutionem potius quam ad ipsam causam figurandam pertinet. Duo autem priores haud dubie eis congruunt, quae Ps.-Dionysius (VIII 1, p. 43, 16) tradit de prima sua forma[2]), reliquas vero eiusdem Quintilianus diserte improbat, cf. § 85: 'Est et ille in hoc genere frequens error,

1) Apte § 67 sq. monet, ut in veris quidem negotiis non periculum tantum, sed etiam offensa vitetur.

2) δεόμενον εὐπρεπείας ἢ δι' ἀξίωσιν τῶν προσώπων ..... ἢ δι' ἀσφάλειαν.

ut putent aliud quosdam dicere, aliud velle' et § 89: nemo contra id, quod vult, dicit'. Atque perstringit vexatum illud thema, quo aliquis ut sibi mori liceat postulat; Ps.-Dionysius (IX 5 p. 77, 15) aliter iudicat. Vides igitur illum et hunc de summa rei inter se dissentire.

Demetrius autem, quisquis fuit, 'περὶ δεινότητος' disserens in extremo libello (§ 287—298) 'περὶ ἐσχηματισμένων' nonnulla adnotat, ne insipienter utantur oratores. Cuius capitis initium hoc est ('Rhet. Gr.' III 323 Sp.): *Τὸ δὲ καλούμενον ἐσχηματισμένον ἐν λόγῳ οἱ νῦν ῥήτορες γελοίως ποιοῦσι* e. q. s. Concedit igitur quiddam figuratum inesse sermoni neque vero orationem plene figuratam agnoscit. Iamiam ipse definit: *ἀληθινὸν δὲ σχῆμά ἐστι λόγου μετὰ δυοῖν τούτοιν λεγόμενον, εὐπρεπείας καὶ ἀσφαλείας.* Eadem ergo figurandi commoda occurrunt, quae Quintilianus laudat, neque vero mentio fit studii aliud vel contrarium per figuram efficiendi[1]).

Sed porro licet progredi: § 288—291 figuris opus esse decentiae causa loco Platonis (Phaed. p. 59 C) fusius comprobatur, incolumitatis causa verbis, quae Demetrius Phalereus apud Craterum Macedonem et quae Plato apud Dionysium fecisse dicuntur. Accedit ambiguum eiusmodi genus, ut nescias, utrum admiratio an insectatio subsit, cuius exemplar est Aeschinis (scil. Socratici) Telauges.

Deinde (§ 292—295) auctor docet, quomodo principes adhortemur, ne peccent, cum illi suorum vitiorum opprobria audire nolint. Quare non directe loquemur, sed aut alios vituperabimus eisdem vitiis obstrictos, aut eos laudabimus, qui contraria fecerunt, aut ipsos, si forte probos se praestiterint[2]), monentes ut hoc studium pergant. Vel parvas enim res ut tyrannis suspiciosas evitandas esse patet (§ 293). Hucusque demonstratum est *τὸ ἦθος τὸ δυναστευτικὸν ὡς μάλιστα*

1) Cf. Bergk 'Griech. Litt.-G.' IV (1887) p. 555 not. 56.

2) Ordo sententiarum hoc loco turbatus esse videtur; neque enim dubito, quin post § 292 intercedere debeat § 295 et verba § 293 rem quasi absolvant.

χρῇζον λόγου ἀσφαλοῦς, ὃς καλεῖται ἐσχηματισμένος. Sed etiam amplae et potentes civitates velut Atheniensium orationem coloratam desiderant, mediam fere inter adulatoris et exprobratoris (§ 294). En illos 'εὐπροσώπους λόγους', ὅταν ἢ πρὸς πατρίδα τις διαλέγηται ἢ πρὸς ἀριστέα .... ἢ πρὸς ὅλην πόλιν, qui commemorantur [Dion. Hal.] art. rhet. VIII 1 p. 43, 20, quamquam appellatio coloris (χρῶμα)[1] apud Demetrium nusquam legitur.

Tamen auctor, ubi de schematismis (vide § 298 s. f.) disputavit, pauca addit (§ 296—298), quae ad πλάσμα[2]) λόγου pertinent, quod ipse sic interpretatur: ut eandem ceram alius in canem fingit (ἔπλασεν), alius in bovem, alius in equum, ita eadem sententia pluribus modis variari potest, cum alius Aristippi rationem imitetur, alius Xenophontis, alius Socratis, quae quidem singulae apte illustrantur.

His expositis satis liquere existimo alteri quasi sectae scriptores Ps.-Dionysianos, alteri Quintilianum et Demetrium addictos esse.

Restat, ut inde colligamus, qua aetate lis illa rhetorica viguerit. Nempe ex Quintiliani loco (I. O. IX 2, 77 sq.) suspiceris circa prima, quibus ille praecipere coeperat (a. 68. p. Chr.), tempora rhetores inter se dissensisse, quales controversiae quem ad finem figurari deberent. Qua ex contentione oborta originem aperte duxerunt duo περὶ ἐσχηματισμένων tractatus, qui arti rhetoricae Dionysio Halicarnasseo falso attributae inserti sunt. Itaque Usenero (praefat. edit. p. VI) assentior, qui eos 'primo Caesarum saeculo' adscribit. Etiam Demetrii libellum vel exeunte primo vel ineunte secundo p. Chr. n. saeculo confectum esse probabile[3]) est.

1) Cf. quae de hac voce Volkmannus 'Rhet. d. Gr. u. R.' [2] p. 113 not. 1 congessit.

2) Diversum est vocabulum, quod exstat [Dion. Hal.] VIIII 14 p. 98, 23: εὑρεῖν πλείους τὰς πλάσεις τῶν σχημάτων ἢ τὰς ἁπλότητας τῶν κοινῶν λόγων.

3) Cf. Altschul 'de Demetrii rhet. aetate' 1889, Beheim-Schwarzbach 'Dem. libellus quo tempore compositus sit' 1890.

§ 3. Ius causarum plene figuratarum exemplis probatur, quae apud scriptores reperiuntur.

Haud alienum videtur esse duos de sermonibus figuratis commentarios, qui Dionysii nomine feruntur, accuratius examinare.

Trium illorum schematum, quae supra p. 174 enumeravimus, via (*μέθοδος*) in priore libello separatim praenuntiatur § 3 uno quasi tenore distincte enarrata, in posteriore autem data occasione (e. c. p. 77, 2) significatur. Summatim haec praescribuntur: Primi generis est cum decenter et caute loqui tum acerbis speciosas causas praetexere. Secundo generi quodammodo duplex actio subest: verbis enim communia simulamus, arte autem ea implicamus, quae nobis usui sunt (cf. p. 55, 7; 96, 13). In tertio genere apud audientes sic in repugnantiam incidere oportet, ut argumenta nostrae partis proferamus futtilia et facile diluenda, adversariae quam firmissima, aut etiam commutabilia adhibeamus, quibus adversarius ipse quoque utatur (cf. p. 68, 8; 70, 4; 78, 13).

Huc pertinet — cf. verba ab Usenero iure seclusa — adnotatio (*μεμνῆσθαι χρή!*) olim suo loco adscripta, in nostris exemplaribus sub finem prooemii reiecta: p. 46, 6—15. Ibi auctor hoc quoque se demonstraturum promittit, quomodo lateat artificiosa ratio neque in periculum incidat orator; praemonentur igitur ea, quae p. 70, 6 (∾ 77, 21) exponuntur.

Alter scriptor pauca haud inepte observavit, velut p. 75, 20: *τηρητέον, ὅτι ἐν κινδύνοις οἱ σχηματισμοὶ εὑρίσκονται,* p. 94, 16: *τὸν σχηματίζοντα ἐγγυτάτω δεῖ εἶναι τοῦ λῦσαι τὸ σχῆμα μετὰ τῆς ἀσφαλείας τοῦ σχήματος,*

Sed eximium horum libellorum pretium in eo situm est, quod uterque auctor ipsam doctrinam idoneis exemplis e veteribus ac praecipuis scriptoribus petitis comprobare sibi proponit. At vulgaria argumenta eaque ficta,

quae a tironibus in scholis tractabantur, scite silentio praetermittunt[1]).

Scriptores autem, quorum ex libris testimonia petiturus sit, prior hos indicat (p. 46, 1sq.): Demosthenem; Thucydidem, Xenophontem, Platonem; Euripidem, comicos, Homerum — idemque pollicetur rationem se habiturum generum deliberativi, iudicialis, laudativi.

Iam ipsam tractationem sic instituit, ut primo apud Demosthenem et nomen et usum figurandi (*τὸ ὄνομα τοῦ σχήματος καὶ τὴν χρείαν* p. 46, 17) demonstret testimonio usus loco orat. XVIII 178. Sed vide, ne hanc discrepantiam[2]) praetereas: in nostris Demosthenis codicibus non legitur: *μετὰ σχήματος ἀξίου τῆς πόλεως*' (p. 47, 8), sed '*μετὰ προσχήματος*'.

Deinde primam illam figuram, qua orator ea, quae vult, decenter eloquitur, exemplo illustrare supersedet, quippe quam adversarii et ipsi agnoscant, statimque secundum adit genus, quo alia specie obtenduntur, alia vere efficiuntur (cf. p. 53, 2). Duae proponuntur causae figuratae, altera generis iudicialis (Demosthenis orat. XIX), altera deliberativi (eiusdem orat. XIV), quarum argumenta ac ratio sagaciter explicantur (§ 5—7).

Tum (§ 8) Platonis apologiam et Demosthenis de corona orationem ita interpretatur, ut appareat complures causas in eis conexas esse, scil. defensionem accusationem, laudationem suasionem. Tum (§ 9) exemplar demonstrativum simulque deliberativum ex Thucydide (II 35sq.) profert, illam Periclis orationem funebrem.

Postquam luculenta igitur trium dicendi generum testimonia copiose exposuit, in reliquis auctoribus parcius versatur: per Euripidis fabulam, quae 'Melanippa sapiens'

1) Obiter ea tangit alter scriptor p. 77, 15. — Posteriores contra rhetores talia exempla, partim spinosa aut absurda, denuo quasi recoquere satis habent; cf. quae infra (§ 4, 5) disputabimus.

2) Vix eo expeditur, quod p. 46, 20 Demosthenes *ὡδέ πως* scripsisse dicitur.

inscribitur, duplicem figuram, alteram poetae alteram Melanippae, detexisse sibi videtur (§ 10); vetustiorem comoediam et ad rem publicam et ad philosophiam spectare satis habet ostendisse; postremo Xenophontis Cyrupaediam (II 1; 3) et Anabasim (I 3) attingit, Phoenicis cum Achille colloquium ab Homero (Iliad. IX) fictum adumbrat (§ 11).

Iam ex optimis scriptoribus demonstratum est haud raro fieri, ut alia verbis proferantur, alia mente agitentur. Restat, ut tertia explanetur figura contraria dicendi contraria volendi. Cuius praeclarum exemplum apud Homerum invenitur, quod instar plurium est (§ 15). Enimvero Agamemno, ut cunctantes Graecos temptet, ipse et praenuntiat (B 72 sq.) simulate se locuturum et perficit apte hanc orationem (B 110 sq.) argumenta proferens infirma et commutabilia et contraria. Hanc vero artificiosam rationem simulata animi concitatione latere ubi significavit rhetor (§ 16), disquisitionem ad finem perductam concludit. Postremo tamen nihil intermittit, quin affirmet tales figuras minime quasi offensiones esse in ambiguitate verborum sitas, sed integras actiones obliquis sententiis arte conexis (p. 70, 20).

Haec igitur pristina erat libelli forma § 1—3, p. 46, 1—5, § 5—11, 15, 16 comprehensa.

Iam vero ad Homerum perventum est, qui princeps non modo poetarum Graecorum sed omnium scriptorum magister putabatur (p. 58, 24). Itaque studium exarsit carmina eius data opera excutiendi, unde tres novae sermonum figuratorum species indagatae sunt, quae aegre tribus illis generibus subiciuntur. Legimus enim p. 45, 16: *Οἱ μὲν οὖν κυριώτατοι τρόποι τῶν ἐσχηματισμένων λόγων οὗτοι. Ἤρτηνται δὲ τούτων τῶν τρόπων κἀκεῖνα.* Fieri enim potest, (I.) ut quis, dum eadem dicere videatur, quae alius antea dixerit, tamen alia efficere studeat, vel (II.), dum illi adversari videatur verbis, ei re vera faveat, vel (III.) liberiorem argumenti breviter indicati explicationem in aliud tempus differat.

Quas species ut apud Homerum demonstret, priusquam ad tertium et gravissimum figurarum genus transeat (§ 12

p. 59, 15), continuum rerum ordinem interrumpit auctor. Ubi priorem illam propositionem (p. 59, 17: *ἦν δὲ τάδε*) iterandam curavit, unamquamque formam illustrat eo loco Homerico (§ 12—14), unde potius eam derivasse videtur. Sunt autem ex Iliadis libris secundo et nono petitae orationes Ulixis et Nestoris (B 278 sq., B 336 sq.), Diomedis ('I 31 sq.), Nestoris ('I 52 sq.), quas ita persequitur, ut et quam inepta res sit (*ἀτοπία*) verbis simpliciter (*ἁπλῶς*) intellectis et quae artificiosa subsit ratio, doceat ingenii acumine sive sagacitate usus. Tum eo, unde digressus erat, redit initio § 15 (p. 67, 22): *Ἐπανέλθωμεν δὲ ἐπὶ τὸν ὑπόλοιπον λόγον* e. q. s. ∾ p. 59, 14.

Hunc secundarum curarum fructum etsi tamquam appendicem subnectere licebat, ipsi commentario inserere maluit, quod quam male fecerit, satis intelleximus[1]). Luce igitur clarius est tractatum olim angustiorem postea cum illo additamento p. 46, 6—15 tum spicilegio Homerico (§ 12—14) amplificatum esse.

Alterius libelli originem perscrutantes id posterioris scriptoris proprium cognoscimus, quod solum Homerum ut testem ac praeceptorem sibi proponit p. 72, 6: *⟨ποῦ⟩ τούτων τὰ παραδείγματα καὶ ἡ διδασκαλία; Ὅμηρος πάντα παραδίδωσιν.* Quare diversis dicendi generibus neglectis — licet innuerit p. 72, 1 sq. — ab initio tres figurarum formas locis Homericis comprobare studet (§ 3—5). Neque mirum est in tertiae formae luculento testimonio (B 72 sq.) eum cum priore auctore (§ 15) plane consentire. Primam autem figuram ut ex Homero illustret, verba Iridis (O 201 sq.), ut secundam, verba Thetidis (Ω 130) adhibet — exemplo minus idoneo usus, id quod ipse sensit: namque statim alterum idque evidentius (p. 73, 13) adiungit, scilicet Diomedis sermonem figuratum 'I 32 sq., ex quo eodem loco illum priorem auctorem (§ 13) suam *τοῦ κατηγοροῦντα συναγορεύειν* speciem deprompsisse significavimus. Apparet igitur hunc scriptorem suo

1) Etiam Usener (praefat. p. VII) offendit 'in propositione p. 46, 1—5 non suo loco interposita.'

iure eandem speciem alteri generi subiecisse, cf. p. 75, 2: *ἐν σχήματι τοῦ ἀγανακτεῖν πρὸς αὐτὸν συναγορεύει* ∾ 75, 17: *οὗτος ὁ σχηματισμός ἐστι τοῦ ἄλλα λέγοντα ἄλλα διοικεῖν.*

Iam reliquas species Homericas desideraveris. Et legimus p. 79, 1: *Ἔστι δὲ καὶ τέταρτον σχῆμα βαθύτατον, τὸ δι' ἄλλων πορευόμενον καὶ παντελῶς ἐπ' ἄλλης ὑποθέσεως τὸν λόγον ποιούμενον ἄλλην περαίνειν.* Haec quoque forma secundi generis est, re autem ipsa fere congruit cum ea, quae p. 60, 1 sq. descripta est — aeque enim Nestoris oratio (B 336) verbosius explicatur et, quae eam excipit, Agamemnonis (B 369) adumbratur — nisi quod definitio figurae verbis variatur: cf. p. 83, 2 *τὸ ἐπ' ἄλλης ὑποθέσεως πεπεικυίας πρότερον ⟨εἰπόντα⟩ ἐπὶ τέλει ὡς πάρεργον ἐρρίπτειν τὴν οἰκειοτέραν ὑπόθεσιν* ∾ p. 62, 17: *παράδειγμα τοῦ τὰ αὐτὰ δοκοῦντα ἑτέρῳ λέγειν, ἕτερα ἀγωνίζεσθαι* ∾ p. 59, 18. Sed sua sponte hic scriptor (p. 83, 4) Platonem (conviv. p. 222) hoc artificium imitantem et expedientem inducit.

Denique § 7 *ἄλλο εἶδος* profert idque duplex: per utramque formam decenter (p. 88, 1: *εὐπρέπεια*) et salva incolumitate (p. 84, 13: *τὸ ἀσφαλές*) aut praenuntiamus quae acerbe eloquenda erunt, aut oblique significamus personis audientium permutatis. Et altera quidem figura, quae orationibus Achillis et Calchantis (A 59—100) accurate tractatis illustratur, eodem sane spectat, quo prioris scriptoris (p. 67, 20) *τρόπος τοῦ καὶ ὡς ἀναβαλλόμενον ἐρεῖν ἤδη λέγειν τὸν ἐσχηματισμένον λόγον* ∾ p. 88, 2: *τὸ δι' αἰνιγμάτων λέγειν, ἃ φρονεῖ τις, καὶ τὸ τῇ διατριβῇ καὶ τῇ μελλήσει τῶν λόγων εἰπεῖν, πρὶν εἰπεῖν, τῷ προοιμίῳ τὸ μέλλον δείκνυσθαι λυπηρόν* — licet alter altero exemplo utatur. Sed in altera potius forma et effingenda et comprobanda (§ 8) liberum huius scriptoris arbitrium deprehenditur, etsi Ulixis in principes et in milites sermones B 188—207 (imprimis vocem *κοιρανέων* B 206) argutius eum interpretari facile dixeris.

Iam eo pervenit auctor, ut ex consilio suo (p. 72, 7) diversas figurandi rationes ab Homero tradi demonstraverit, sed

(quod gravissimum est) tria illa genera figurarum et species Homericas, quae apud priorem separata sunt, temere confuderit. Manifesta est summa eius incuria, quippe cum, ubi p. 72, 4 tria genera enumeravit, p. 79, 1 quartum adnectat, p. 84, 7 quintum idque duplex.

Tum alteram commentarii partem — p. 84, 3 inceptam sed actutum interruptam — aggreditur § 9: Ἴωμεν τοίνυν ἐπὶ τὰ πεζὰ παραδείγματα, quibus tamen exempla immixturus est ex Euripide poeta petita; neque vero dispositionem illo loco praenuntiatum strenue prosequitur. Ipse quoque Demosthenem et nomen schematis novisse et decore (εὐπρεπῶς p. 90, 5; 91, 12) loqui scire ex orationibus XVIII. et XIV. verbis oratoris citatis demonstrat. Eodem modo Euripidis fabulas (§ 11) excutit, Aeolum partim[1]) Melanippam omnino figuratam. Deinde (§ 12) attingit, quae Isocrates[2]), Plato, Demosthenes, Xenophon, Thucydides decore (p. 95, 7; 96, 6) aut pluribus argumentis apte coniunctis (p. 95, 19; 96, 14) scripsisse putentur. Sed cum in angustius res cogat, nimio festinandi studio vel in ineptias incidit (cf. Usener, praef. p. VII, adn. ad p. 95, 19).

Conclusionem, qua rem initio propositam quasi probatam esse gloriatur, quaedam appendix (§ 13—16) subsequitur, sive schedulae ex iteratis studiis suppeditatae. Praemissa formula: 'Πολλὰ σχήματα παρ' Ὁμήρῳ, πάμπολλα καὶ ἐν ἄλλαις ὑποθέσεσιν ἄλλα διοικουμένῳ' scriptor significat ne Briseidis quidem orationem (T 287 sq.) carere figura, quippe quae mortuum Patroclem miserans suam ipsius sortem nuptiasque promissas conqueratur.

Tum (§ 14) novo quasi prooemio usus rursum affirmat ex eiusmodi interpretatione plures evadere sermones figuratos quam simplices. Sed quamquam diversa dicendi

1) Ob eam ipsam causam praetermitti a priore scriptore non mireris, quippe qui ut ὅλους ἀγῶνας ita ὅλον δρᾶμα ἐσχηματισμένον (p. 56, 23) requirat.

2) Laudat Panegyricum, Philippum, orationem περὶ ἀντιδόσεως confectam, ubi laudatio aut suasioni aut defensioni implicita sit.

genera enumerat, ipse nihilominus in solo Homero versatur. Eo autem progreditur, ut, etiamsi quis plane (ἁπλῶς) loquatur, hoc quoque artificiose fieri contendat, ἵνα ἡ τῆς ἁπλότητος προσποίησις τὸ πιθανὸν ἔχῃ τῷ ἀκούοντι (p. 99, 2), cuius rei testimonium affert Aiacis ad Achillem orationem *I* 624 sq., ubi primum Phoenicis Achillisque verba et ipsa figurata attigit. Deinde (p. 101, 6) artificialem et inartificialem gratiarum exactionem differre locis collatis A 396 ∾ A 503 ∾ A 39 illustrat et terminos figurandi (μέτρα τῶν ἐσχηματισμένων λόγων) esse docet, quandoquidem Ω 465 sq. ∾ 486 ex opportunitate rei Priamus copiam dicendi circumcīdat. Postremo (§ 16) Homerum ne imaginis quidem adhibitae figuram ignorasse (T 221 sq.) demonstrare sibi videtur.

Iam ad extremum libelli finem pervenimus vera conclusione desiderata. Sed hoc studium pedetemptim in argutias nimiamque subtilitatem incidisse neminem fugit. Toto libro perlustrato appendicem Homericam et incompositam et laxe adnexam, ipsum autem commentarium bipertitum esse apparet: prioris partis (§ 1—8) Homerus quasi fundamentum est, posterior (§ 9—13) eaque angustior ad pedestris sermonis scriptores spectat. Auctoris autem ratio res disponendi explanandique parum accurata, ne dicam incondita, ubique deprehenditur.

Ex eis, quae adhuc disputavimus, miram quandam similitudinem inter utrumque commentarium intercedere elucet, quandoquidem non modo in plerisque exemplis gravissimisque sententiis, sed etiam in levioribus ac pusillis rebus inter se consentiunt scriptores. Quod ne temere dixisse videar, conferas p. 52, 8 ∾ 91, 19, ubi simillime Archidami Thucydidei mentio inicitur. Easdem viles opiniones reperias p. 63, 16 ∾ 74, 24; p. 60, 22 ∾ 79, 13.

Quis igitur dubitabit, si nobiscum hos libellos perpensitaverit, quin uterque scriptor non suo consilio et arbitrio materiam tractaverit, sed ex eadem disciplina[1]) pro-

1) Cf. Usener, praef. p. VI.

fectus sit? Neque utri palmam tribuas, haesitabis: prior enim scite et accurate res explanare studet; posterior, homo mediocris ingenii (e. c. p. 79, 15sq.), modo diffusius modo parcius disserit; paucis locis (p. 83, 4; 93, 3; 95, 1, 24) quaedam supplet, permultis vero neglegentissime[1]) se gerit. Has schedulas cursim conscripsisse, non elaborasse videtur. Nonne p. 96, 3: 'καὶ παρὰ τῷ Ξενοφῶντι .... εὑρήσετε ἐσχηματισμένους λόγους' quasi ipsius magistri verba audis discipulos ad altiora studia excitantis? Verisimile enim est rhetorem auctoritate insignem, cum de iure actionum figuratarum litigaretur, scholas de hac quaestione habuisse et, ut exercitationem ludo aptissimam tueretur adversariosque refutaret, ipsum exempla e litteris petita alia explicasse alia significasse. Iam sectatores sedulo optimos scriptores — prae ceteris Homerum — exhauserunt, quo ex studio commentarii nostri fluxerunt; nomina autem auctorum sane ignoramus.

Sed quod in eis Homerus, omnium scriptorum quasi princeps, eloquentiae artificia qualiacumque excoluisse posterisque tradidisse (p. 58, 23) existimatur, haec doctrina Stoicorum[2]) propria fuisse videtur. Stoicae autem disciplinae prae ceteris addicti erant grammatici Pergameni, quos in Homero interpretando pleraque allegorice explicare solitos esse satis constat. Quid igitur mirum est eosdem, sermonibus quoque quasi ὑπόνοιαν subesse opinatos, in Homeri carminibus figuratas orationes detegere studuisse? Certe Pergameni artem rhetoricam cum grammatica sociare[3]) consueverunt. Et animadvertimus nostros scriptores exemplar Homeri notis instructum adhibere (cf. Usener ad p. 73, 5); eo inniti, quomodo Homerus vocabulis utatur (p. 70, 2); tertium dicendi genus

1) Cf. quae Usener adnotat ad p. 81, 11; 95, 19; praef. p. VII.

2) Cf. Striller 'de Stoicorum stud. rhet.' = dissert. phil. Vratisl. I (1886) p. 11; Lehnert 'de scholiis ad Homerum rhetor.' diss. Lips. 1896 p. 98; Radermacher 'Mus. Rh.' LII (1897) p. 424.

3) Cf. Lehnert l. l. p. 99; Volkmann in 'Iv. Mueller, Handb. d. A. W.' II² 641.

appellare ἐγκωμιαστικόν (p. 53, 19; 54, 14; 55, 23; 56, 12) Stoicorum[1]) more.

Tamen haec coniecisse satis habeo.

---

§ 4. Rhetorum Graecorum aetate posteriorum de sermonibus figuratis doctrina.

Controversiarum cum partim tum omnino figuratarum usus a Ps.-Dionysio protectus in scholis propagabatur. Inter posterioris aetatis rhetores quasi princeps habetur Hermogenes, qui in quarta operis 'περὶ εὑρέσεως' parte λόγου σχήματα pertractans separatim (IV 13) de figuratis problematis (περὶ τῶν ἐσχηματισμένων προβλημάτων = 'Rhet. Gr.' II 258 Sp.) agit[2]).

Et ipse tria distinguit genera: Τῶν ἐσχηματισμένων προβλημάτων τὰ μέν ἐστι ἐναντία, τὰ δὲ πλάγια, τὰ δὲ κατὰ ἔμφασιν. Primum genus id accipit, quo contraria intendimus atque dicimus; velut 'ab Atheniensibus pacem petentibus Lacedaemonii flagitant, ut Periclem sibi tradant. Tum Atheniensibus deliberantibus in senatu Pericles ipse instat, ut exsulet.' Evidenter contrarium mente agitat, scilicet ne hostibus proiciatur. — Obliqua autem forma cum contraria intentione aliam simul efficimus[3]); velut 'dives quidam fame oborta civitati victum se praebiturum pollicetur, si pauperem ad caedem accipiat; populus refutat, pauper se ipse offert.' At re vera non modo contrarium petit, sed id quoque

---

1) Cf. Lehnert l. l. p. 101; Volkmann 'Rhet. d. G. R.' [2] p. 21.

2) Cum eo anonymus plane consentit, qui περὶ τῶν τοῦ λόγου σχημάτων scripsit: 'Rhet. Gr.' III 118 Sp.

3) Bene notaveris discrepantiam inter Hermogenem et Ps.-Dionysium intercedere: hic enim τὸ πλάγιον definit: ἕτερα μὲν λέγον, ἕτερα δὲ ἐργαζόμενον ἐν λόγοις — ille: ὅταν μετὰ τοῦ κατασκευάζειν το ἐναντίον καὶ ἄλλο τι περαίνῃ ὁ λόγος.

monstrare studet diviti frumentum deesse, alioquin ei eripere in promptu esse. — *Κατὰ ἔμφασιν*[1]) denique vocat, si quis impeditus, ne palam aut libere loquatur, per orationis compositionem quaedam ita significat, ut et ipse offensam evitet et auditores latentem sensum cognoscant. Hoc est exemplum: 'Lex dementem exsulare iubet. Fama est patrem cum nuru concumbere; filius rogat, ut tamquam demens fugiat.' Enimvero, etsi specie de exsilio loquitur, tecte patris infamiam reprehendit.

Exemplis quasi legitimis ubi tria sua genera exornavit auctor, rationem eorum pluribus exponit. Contrarium modum et obliquum eo differre affirmat, quod ille unam mentem, hic duplicem exhibeat, cum eadem sit tractatio exercentibus. Nempe oportet adversariorum subiectiones (*ὑποφοραί*) de industria proferantur; oratio enim gravibus a contraria parte argumentis et infirmis refutationibus instructa suspicionem movet oratorem plus appetere quam simulare, id quod ficta Periclis oratione illustratur. Etiam commendes cuilibet personae veras sententias pronuntiandas vel ipse eas declares mutata quidem condicione. Propterea enim Hermogenes indicat figuratas vocari eiusmodi controversias, quod easdem sententias subesse necesse sit, quas, etiamsi non figurate loqueremur, tamen proferremus. Denique caute agendum esse censet, ne reconditas significationes quasi nudantes[2]) in contrarium tendamus finem.

Porro ex illo per emphasim genere eam speciem laudat, quam ipse se invenisse gloriatur: *ἵνα τις ἄντικρυς λέγων τὸ πρᾶγμα μὴ δοκῇ λέγειν* scilicet tali formula usus: 'fac rem sic se habere'. Postremo in hisce problematis figuratis frequentari iubet verba dubia et quasi duplicia (*ὀνόματα διττὰ δηλῶσαι δυνάμενα*) aut compositionem ambiguam, sive comprehendas vocabula sive distinguas (*ἡ τῆς συνθέσεως*

1) Distinctius hanc formam Hermogenes appellat quam Ps.-Dionysius; etiam Quintilianus (I. O. IX 2, 65) emphasi eam confinem vel eandem esse dicit.

2) Quint. IX 2, 69: 'Aperta figura perdit hoc ipsum, quod figura est.'

ἀκολουθία συγκειμένη μὲν ἄλλο δηλοῖ, διαιρουμένη δὲ ἄλλο ἐμφαίνει). Hac in re Hermogenes adversarium habet Quintilianum[1]), qui I. O. IX 2, 69 figuras talibus artificiis quasi manifestas reprehendit. Componamus ipsa utriusque exempla:

Hermogenis	Quintiliani
1) *λυποῦμαι ὑπὲρ τοῦ πατρός, εἰ .... μόνη συνέσται τῇ θυγατρὶ καὶ συζήσεται.*	1) in suspecta nuru: duxi uxorem, quae patri placuit.
2) *τοῦ μοιχοῦ λαβόμενος ἐβόων· πάτερ, σὺ δὲ ἦς οὐδαμοῦ.*	2) Quis te, inquit, rapuit? Tu, pater, nescis?

Quoniam Hermogenis doctrinam absolvimus, adeamus Apsinem Gadareum, qui illum aetate secutus est. Huius commentarius, qui *περὶ τῶν ἐσχηματισμένων προβλημάτων* inscribitur ('Rhet. Gr.' 2 I 330 Sp.-H.), pariter compositus est atque amplior eiusdem ars rhetorica[2]) (cf. Christ 'Griech. Litt.-G.' 2 p. 627): haud integram disciplinam praebet, sed quasdam particulas, quae sollemnia rhetorum praecepta quasi expleant et dilatent; notandum est illud *ἄλλο* ter (p. 331, 7; 334, 3; 337, 23) praemissum. Antecedunt vulgo quaedam ex Hermogene excerpta (p. 330—331, 6); iam ipsum exordium (p. 331, 7—10) praecisum videtur: controversiarum figurate (imprimis per suspicionem et emphasim) productarum multa esse genera. Data autem opera Apsines, cum ad usum spectet, exercentibus viam quasi praeit.

Prima igitur species[3]) ea est, qua quis ipse maiorem

---

1) Cf. etiam [Dion. Hal.] art. rh. VIII, 16 p. 70, 20 sq.

2) Quae ratio inter utrumque libellum intercedat, non liquet (cf. Brzoska in Pauly-Wissowa 'Realenc. d. A. W.' I p. 281). Eorum cognationem ut intellegas, compares e. c. p. 237, 18 ~ 336, 24; 319, 3 ~ 338, 1. — Neque in arte desunt argumenta figurata, velut § 4 (p. 248, 14 ~ 236, 23) 'Pericles tulit, ut Attica vastaretur; tum Nicias ab Eleusine initium fieri iubet.' Cuius exempli condicio haec est: *εἰσηγησαμένου τινὸς καὶ πείσαντος σὺ τὴν εἰσήγησιν ταύτην ἐν ἀληθείᾳ κακίζεις, προσποιῇ δὲ ἐπαινεῖν, καὶ ἄλλο τι δεῖ προστιθέναι ἕτερον αὐτῷ ἀκόλουθον.* Cf. etiam p. 220, 10; 221, 1.

3) Quo verba *περὶ οὗ πρότερον ἐλέγομεν* (p. 331, 11) respiciant, nescio.

sibi vindicat poenam, ut eam, cui obnoxius est, tollat, velut[1] 'Demosthenes pecuniarum Harpali interceptarum convictus ut exsilio multaretur, Hyperides rogavit; ipse Demosthenes capitis damnari mavult'. Gravitate (βαρύτητι) opus esse docet auctor, ut per amplificationem (αὐξήσεως τρόπῳ) crimina diluantur et quaedam adversariorum inconstantia acerbe notetur, schematis σχετλιαστικοῖς admissis.

Est altera species (p. 334, 3), si quis contraria suadet eis, quae ipse antea suaserat, velut 'classis Atheniensium in Siciliam profecta ubi tempestate exorta domum rediit, Nicias et Alcibiades sententias sibi contrarias proferunt'. Quam dissensionem ut expedias, oportet validis e contrario argumentis indulgeas, quibus novam rem strictim opponas.

Deinde nonnullae formae pressius adumbrantur (p. 336, 17). Etenim fit, ut decreta aut legem quispiam solvere studeat, e. c. 'Hyperides expetit, ut Demosthenes ξενίας convictus servus publicus sit. Adversarius contra probat illum servitutis expertem etiam libertate dignum esse'. — Gravitate et schetliasmis ne προσαγγελία quidem vacat, i. e. si quis ipse supplicio se offert (cf. p. 237, 18). Perinde 'Demosthenes ipse tradi vult Philippo aut Demosthenem aut naves longas exposcenti'.

Quas species ubi enarravit, Apsines (p. 337, 23) aggreditur praeclarissimum illud figurandi specimen, quo contraria dicimus contraria mente agitamus: nam quod in aliis problematis vitium putatur, in talibus virtus est. Exemplo[2]) utitur simili atque Hermogenes ad obliquum genus illustrandum. Utique contrarium intendamus; admittitur etiam figura praeteritionis et obticentiae aut simulandae consolationis pro criminatione.

Denique (p. 339, 13) ipse quoque confitetur sententiam

1) Singula exempla promere satis habeo et ea, quae auctor ipse copiosius explicat.

2) p. 338, 1: πλούσιος πένητα ᾔτησεν ἀποκτεῖναι, καὶ ὁ δῆμος ἔδωκε· μετὰ ταῦτα ἰδιώτης ἐπανῆκεν ὁ πλούσιος ἀριστεύσειν ἐπαγγειλάμενος καὶ προσαγγέλλει ἑαυτὸν ὁ πένης.

figuratam etiam verbis posse effici maxime dubiis ambiguisque atque in extremo hoc summum ponit praeceptum: τὸ μὴ πάντα πληροῦν ἐν αὐτοῖς, μή πως δειχθῇ τὸ σχῆμα.

Ex scholiis, quae ad Hermogenem ingentia exstant, pauca afferri liceat: Sopater ('Rhet. Gr.' V 43 W.) nunquam personam figuratam esse iudicat, sed semper causam; adversatur ei Marcellinus ('Rhet. Gr.' IV 103 W.). Scholiasta autem anonymus (VII 950 W.) sermoni figurato τὸ ἀσαφές virtutem, alioquin vitium esse statuit (cf. Ioh. Sicel. VI 197 W.).

Restat, ut Maximum Planudem tamquam interpretem Byzantinorum doctrinae audiamus. Docet igitur ('Rhet. Gr.' V 228 W.) alias quaestiones directa via (ἐπ' εὐθείας) in iudiciis peragi, alias figurate idque tres in modos fieri posse: I) κατὰ τὸ μεῖζον — exemplo elucet primam illam ab Apsine laudatam (p. 331, 10) speciem intellegendam esse, qua quis sibi ipse maiorem vindicat poenam.[1]) II.) κατὰ τὸ πλάγιον sive κατ' ἔμφασιν — quod ne mireris, bene notaveris: πλαγίως ἐμφαίνει orator. Exemplum est Hermogenis, quo suum κατ' ἔμφασιν genus illustrat. III.) κατὰ τὸ ἐναντίον: velut 'lex vetat proditoris ullam esse memoriam. Rogat quidam, ut Themistoclis liberi expellantur; hi autem postulant, ut muri ab illo restituti deleantur', eo scilicet consilio, ut appareat illum minime proditorem fuisse (cf. Sopatr. V 44 W.). — Denique significat Planudes in causis figuratis aliud esse τὸ κεκρυμμένον aliud τὸ φαινόμενον, eis autem locum esse ait, ubicumque libere de re proposita loqui non liceat.

Satis igitur cognovimus Ps.-Dionysium, Hermogenem, Apsinem, alios deinceps rhetores Graecos usque ad extrema tempora hanc de schematismo doctrinam excoluisse. Enimvero figurata dictio, cum ex usu cotidiano originem duxerit et data occasione a praecipuis scriptoribus adhibita sit, maxime tamen in scholis florebat declamationibus artificiose institutis.

---

1) In errorem incidit Volkmann 'Rhetor. d. Gr. u. R.'[2] p. 116 not. 1.

§ 5. Rhetorum Latinorum aetate posteriorum de sermonibus figuratis doctrina.

Inter rhetores Latinos Iul. Rufinianus (de schem. dian. § 1 = 'Rhet. Lat.' p. 59 H.) Quintiliani auctoritatem fere sequitur[1]), Iul. Victor (art. rhet. c. 21, 22 = p. 434sq. H.) illum (I. O. IX 2, 65sq., 75sq., 93sq.) paene verbo tenus exscribit. Hoc tamen eius proprium est, quod genus aliud dicendi aliud volendi a Quintiliano repudiatum ipse probare videtur: obliquitatem enim appellat et exemplo illustrat, 'ut Marcus Tullius ..., cum de poena coniuratorum fingit se mitiorem, tamen id agit oblique, ut interficiantur coniurati'. Opponit vero (p. 435, 20 H.) hanc obliquitatem illis figuratis controversiis.

Discrepantia, quae olim inter rhetores viguerat, paulatim evanuit; iam nova quaedam doctrina oritur, cuius specimen praebent Chirius Fortunatianus (art. rhet. 5 = p. 84 H.) et Martianus Capella (de arte rhet. 20 = p. 463, 35 H.)[2]). Uterque integrum totius artis rhetoricae compendium scripsit, a Stoicorum[3]) aperte disciplina profectus. Stoicis autem rhetoribus primarium negotium fuisse τὴν νόησιν sive intellectionem notum est. Itaque proposita controversia primo considerant, an consistat (Fortunat. p. 82, 1), tum ductum quaerunt, i. e. quo modo tota causa agenda sit (Fortunat. p. 84, 24). Martianus contra sic definit (p. 463, 35): 'Ductus est agendi per totam causam tenor sub aliqua figura servatus'. Hic ductus ex consilio oratoris (sive vero sive non vero) repetitur, consilium ex tempore (sive praeterito sive praesente vel futuro), ipsum tempus ex causativo litis (p. 85, 5 ∾ p. 464, 18).

1) Addit singula exempla Vergiliana et adnotat p. 60, 10: 'Sed eiusmodi figurae, quae iuvenibus in schola lasciviunt, ut Cornutus ait, minime maturae sunt et parum causis foroque conveniunt.'

2) In universum inter se consentiunt, nisi quod Martianus brevius et minus dilucide res exponit; cf. A. Reuter 'Hermae' vol. XXVIII p. 78sq.

3) Cf. Volkmann, 'Rhetor.' p. 111 sq.; definitiones certe Stoicas p. 81, 4sq. inspicias. — Ceterum memineris eorum, quae supra (p. 185) disputavimus.

Quinque autem ductus discernuntur[1]):

I. simplex: cum simpliciter id agimus, ita ut in themate positum est. Velut 'inventus est iuxta cadaver recens hominis occisi: fit reus caedis'. Causativum litis est, quod sit inventus, quod est praeteriti temporis, et ideo verum est consilium, ac per hoc simplex est ductus. Nulla igitur figura subest.

II. subtilis: cum aliud est in themate, aliud in agentis voluntate. 'Amicos non habet; abdicatur' — non vere pater abdicat filium, sed titulo abdicationis suadet, ut amicos habeat. Causativum litis (quod amicos non habet) est praesentis temporis, et ideo non est verum consilium, ac per hoc nec simplex ductus.

III. figuratus: cum palam dicere pudor inhibet. 'Adulteros liceat occidere. Infamis fuit in nurum; invenit filius adulterum obvoluto capite nec eum occidit. Interrogatur a patre, qui fuit adulter, cui pepercerit; non dicit et abdicatur'.[2])

